BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
2 G VI
21

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

JOANNIS BISSELII,
è Societate JESU,

DE

PESTIFERIS

PECCATORUM MORTALIUM FRUCTIBUS

EXEMPLA TRAGICA,

Per Anni M. DC. LI. Quadrageſimam, pro ſuggeſtu, expoſita.

EDITIO ALTERA,

Cum Gratia, & Privilegio Sac. Cæſ. Majeſt.

Et Facultate Superiorum.

Collegij. Fran. Xav. pro Biblioth.

BIBL · DOM · PROF · ROM · IHS



BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE

DILINGÆ,
Typis & Sumpt. JOANN. CASP. BENCARD,
Bibliopolæ Academici.
Per JOANNEM MICHAELEM SPÖRLIN.

ANNO M. DC. LXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo
Domino, Domino

JOANNI,
COMITI
de
SANTILIER,

BARONI in GUETTENPRUNN, &c.
Cathedralium Eccleſiarum, PASSAVIENSIS, & OLOMUCENSIS,

CANONICO.

Sereniſſimi, ac Reverendiſſimi,

LEOPOLDI GUILIELMI,

Archiducis Auſtriæ, Epiſcopi Paſſavienſis, & Argentoratenſis, &c.

CONSILIARIO;

Nec non ejuſdem, per Auſtriam, ſupra Anaſſum,

OFFICIALI,

Et, in Spiritualibus,

VICARIO GENERALI,

JOANNES BISSELIUS,
è Societate JESU,
Proſperrimum ineuntis Anni principium vovet, & apprecatur.

Digitized by Google

IAM pridem SANTILIERIANI Nominis, atque Sanguinis, eminentem *Gloriam*, & hiſtoriarum mihi lectio *Militarem*, & Virtutum clara Fama *Domeſticam*, copioſè narraverant. *Duorum* quoque ſtirpis hujus *Fratrum*, hoc ipſo tempore, *primis* in *Curiis* templíſque, ſplendor Eccleſiaſticus, ne Me quidem paſſus eſt SANTILIERIOS ignorare. QUID enim in *Alto* valde, conſpicuóque, poſitum, diu latere poteſt, etiam in *humili* conſtitutos? Verùm, ea mihi, quantacunque *Tua Tuorúmque* décora, ſemper quidem Ingentia viſa ſunt; aliquantò tamen (fatebor enim) velut omnia, quæ *de remotis* intuemur, indiſtinctiora contractioráque, donec in rem poſtea *præſentem* propitius Fortunæ favor meos oculos perduxit; & Oculi, meam fidem: quâ demum *majora* quædam in TE (nec ea pauca) quàm, quæ mihi credulitas abſens impreſſiſſet, inveniebam.

Cùm

Cùm enim proximè ſuperioris anni *Julius excurrens*, ſecundo me Danubio defluentem, *Paßavienſibus* quoque ripis, ac Fluminum Trium confluentibus, intuliſſet, in unius (puto) *tridui* moram, & quietem: meminiſti, *Vir Illuſtriſſime*, die quodam videndi conveniundíque *Tui* copiam à me, per tuos, exambitam. Non ambitu fuit, non exſpectationis longæ, vel tædiis opus, vel cæremoniis. Tanquam enim, aut *ignarus*, aut *irriſor* illius, quæ, multorum in *Primatum* veſtibulis, ſive ſubmotrix, ſive dilatrix ſedet adituum, *ſuperciliosa Granditas*: continuò, nondum toto venientis audito nomine, conſurrexiſti loco, qui TE tunc tenebat: &, quaſi non ad *Tuam* ego *magnitudinem*, ſed ad *meam* Tu *vilitatem* properandum haberes; relictis omnibus, ipsáque corporis adeò convivarúmque curâ, de *prandio* (quod, TE *ſeriùs* inire, *negotia* compulerant) inconſummato, progreſſus dignanter es, in occurſum. Mox,

venientis dexteram tuâ ſtringens dexterâ, tuorúmque luminum *Sereno* meos perfundens oculos; *tuis* me curarum ſanctiorum *penetralibus* induxiſti. Quo loco, cùm ego temporis ſolummodo punctum, in *Salutationis* debitæ ſervitium flagitâſſem; per ipſas *tres* retentus *horas*, ingenti ſensûs & animi mei cum voluptate: Superi boni! quæ vidi, quæ, qualiáque, ſum expertus? Quantam in congreſſu, quàm æquabilem, humanitatem? quantam, in colloquio, (quantumvis prolixo) facundiam? in laudandis ſcientiis ac voluminibus, auctorum peritiam? in deprehendendis monſtrandíſque naturæ, vel artium, myſteriis ſubtilitatem? in rebus, tam exteri, quàm tui fori, publicis ac privatis, intelligentiam? in æſtimatione cœleſtium, & curâ Numinis, pietatem? in homines, Religionem profeſſos, animi propenſiſſimi Synceritatem? in tanto denique rerum ac fortunæ tuæ faſtigio, quantam mentis, de ſe modeſtiſſimè ſentientis, demiſ-

demiſſionem? Quid ultrà deinde? Potuit aliquid *ultrà* fieri? Certè, *factum* eſt. Non es dedignatus, homini mihi, *peregrini* climatis atque ſoli, commonſtrare deinceps illa quoque: quæ plerumque, *ſui favoris nimius æſtimator, fortunatorum tumor*, non, niſi *junctiſſimis*, amat, aut *admiſſionis intimæ* familiaribus, oſtentare; Pinacothecam, inquam, tuam, & penicillorum, expreſſa tabulis, Ingenia: Miraculorum item Artis repoſitoria; Tabularium, *Aram*, atque *Lararium*. Ex quibus omnibus diſcebam, quàm, non TECUM tantummodo (quod ipſum raræ primæque laudis eſſet) ſed, cum DEO quoque Superíſque nôſſes, in ædibus Tuis, *habitare*. Denique, *Muſarum* quoque tuarum aperuiſti mihi Sacrarium, *Bibliothecam*; nitore, delectúque voluminum, commendabilem: cujus etiam (ne delicias tuas *oſtendere* libentiùs, quàm *communicare*, videreris) aliquâ *me* quoque *Parte*, non parùm eruditâ pretioſáque donatum, ditatúmque

 (tam-

Digitized by Google

(tametſi pudibundè diu reluctantem) abire coëgiſti.

Quid dicam, *Illuſtriſſime?* Fortunas *Tuas*, ex æquo *Litteratas* & *Sanctas*, (aliud enim Domo totâ non vidi) *cunctas* interim, opinor, *vidi*. Sed *minoris* tamen (ignoſces audaci Sententiæ) *cunctas* æſtimavi fecique: quia *nihil* in illis *Novius* aſpexeram, aut *Majus*. Priùs enim jam TEIPSUM, Comes Illuſtriſſime, *Videram*: ac *Viſum*, animo penitùs inſculpſeram. cujus proinde defixus in contemplatione, quidquid deinceps TUORUM aſpexeram, in eo TE contuebar, ac TUOS (ſanè quàm ſuaviſſimos, in tanta Dignitate) mores. Quare, ſub digreſſum, exclamavi mecum ipſe, quod illa quondam Orientalium ſapientiſſima, de Rege, Sapientiæ prodigio; *Vicit* iſte! *vicit Virtutibus ſuis Famam!* In uno JOANNE, Chriſti Militem, Sacræ Pacis cuſtodem, Imperii Romani COMITEM, proſapiæ totius vivam Imaginem, integritatis Eccleſiaſticæ Specimen, &

SANTILIERIANÆ Gloriæ felix *Compendium*, intuebamur. Siquis alius igitur; Iſte quidem certè digniſſimus eſt, cujus, in Humanitate ſummâ mirabilis Dignitas, in Dignitate magnâ mirabilior Humanitas, aliquâ curarum mearum *Nuncupatione* quandóque publicâ proclametur: immo, *dedicetur*, & *in Cælum* tollatur. QUID enim *in Humanis* tam juſtè meritóque, quàm VIRTUS-*In Excelſo* (ceu Numinis imitatrix) ad venerationem proponitur?

Hæc tunc *egomet* mecum. &, (puto) parte cogitationum mearum jam tum, etiam *Tuas* obiter *aures* adſperſi: ſive ſentientis, & ſenſum tamen modeſtâ diſſimulatione prementis; ſive, cuncta tunc alia mente volutantis. Inter quæ me, *Tuâ* ſæpius alioquin *Præſentiâ* gaviſurum, *tuis* à conſpectibus *navigationis* invida *neceſſitas* avulſit. non pariter tamen avulſit & à concepto ſemel, Tui publicè venerandi, conſilio: quod equidem mecum tunc, in *Pannoniæ primæ* fines uſque devectum, ſem-

per deinceps in animo (quoad in *Alemanniam* redirem meam) tenaci curâ penſitabam.

Sed mihi tamen, cum ſtudio cuncta circumſpectanti; Quídnam è *lucubrationum* mearum ſcriniolis *Tuo Nomini*, tuíſque *Titulis*, inſcribendum ante cætera ſuſciperem: quanquam in iis occurrebant, quæ *Familiæ tuæ*, vel *priſcos* Heroas, vel *recentiores*, hiſtoricâ compoſitione celebrarent; tamen, hoc quidem tempore, dum hæc bruma deliqueſceret, eorum *vulgationem* differre, certis de cauſsis, placuit. Sub *prælo* verò tunc commodùm erant (nec enim *extruſa* jam; ut falsò nonnullis perſuaſum erat) *peſtiferorum Peccati Mortalis Fructuum* EXEMPLA TRAGICA: labor recens, & Stylus Eccleſiaſticus.

Iſte Tibi pulpiti ſacri *nixus meus*, præ cæteris *meorum operum*, hac tempeſtate *nuncupandus* videbatur: &, ecce, reipſa jam demiſſiſsimè *nuncupatur!*

In

Digitized by Google

In eo, non eſt, *Comes Illuſtriſſimè*; cur *Frons* Te, *Titulúsque* libri, (tanquam penatium tuorum poſtibus affigi minimè dignus, & fortaſſe magìs formidandus) offendat, aut exſternet: maximè, dum hic PESTIFEROS tibi *Fructus*, &, MORTALIA, ſtatim oſtentat. Videlicet, non debuerat, ac ne poterat quidem, in *Argumento* ſcriptionis tali, veſtibulum operis hujus adornare *ſpecioſior* INSCRIPTIO, quàm, quæ PESTES ac MORTES, ipſo confeſtim intuitu primo, ſpectantibus ingereret. Hæc éadem, & *Imaginem* illam, quæ Titulum proximè ſubſequitur, obtrudere lecturis, decebat.

Vetus erat, verúmque, Græciæ Verbum, quo, FORMOSORUM etiam AUTUMNOS (nedum *Ver*) eſſe FORMOSOS, prædicabant. Id, quod in *Hylas Helenásque*, valebat adagium. In *Therſitas* autem, & *Æſopos*, ac *Polyphemos*, &, ſummatim, in omne, quod Natura *degenerans* aut *exerrans* effudiſſet, è contrario jactabatur; TURPI-

UM,

UM, ANNUM TOTUM ESSE TURPEM. Harum in cenſu *Deformium* Rerum, quid, obſecro, prius eſt aut potius, LETHIFERO PECCATO? Cujus *facies, carbone nigrior*; cujus *Species*, Omnis Pulchritudinis (hoc eſt, *Gratiæ Divinæ*) privatio; cujus *gloria*, Confuſio; cujus VER, Pratum-Luxuriæ; cujus ÆSTAS, Gehenna; cujus HYEMS, Aquæ-nivium-Inferarum; cujus denique, vel nudum *Nomen*, humani ſimul & Angelici generis labes, & lues, & exitium cùm ſit: mirúmne cuiquam videri debet, ſi *Fœtus* etiam illius, atque FRUCTUS, ſi Tartareus ejus AUTUMNUS, primâ quoque confeſtim fronte, PESTIFER, & MORTE Luctibúſque TRAGICIS, plenus ſit? Igitur *Argumenti* (Reverendiſſime) *thematíſq;* vitium, non *Scriptoris* culpa, multóque minimè, *Patroni* Terror, eſſe debet, *Inſcriptionis* cadaveroſum limen. Intus nimirum, intus, mali Tituli pejores Cauſsæ ſedent; &, vitioſi corti-

cis

cis deterior medulla: PECCATA, dico, LETHALIA, ſuis cum *Monſtris*. quæ tamen concutere *Lectorem*, non niſi *Reum*, debent: Innoxium autem inſontémque (cujusmodi *Tu*, divino munere) ne *tangere* quidem debent.

Quid igitur (inquis) *ad Me totus hic Liber ſpectat*? ſi neque, quod *præfert* ille, neque, quod *parit*, in aliquo MEUM eſt? Quo jure, ſub *tutelæ* meæ tentorium ſe recipit; ſi nihil illi mecum, nihil cum illo mihi? ſi (breviter) *univerſus* à nobis *alienus* eſt?

Fateor: *Alienus* à Te *totus* hic *labor meus*; ſi *Materiem* ſpectes & *argumentum*, in RE ſuâ. Nam in *Te tuóſque mores* (Illuſtriſſime) neque *Protaſiana* cadit Ambitio; neque *Daiſachiana* Perfidia: non *Caſtelperſiana* Petulantia; non, *Sathanicis* obnoxia laqueis, Impietas; non *Presbyteri Liziniacenſis* Infamia; non *Catharinæ Peruanæ* Sacrilega Nequitia; non *Ejusdem*, ex merito ſcelerum, æterna Flamma; non denique *Japonum Apoſtatarum* in-

felix

felix à Recto Defectio. QUID enim Herculi SANTILIERIANO, cum his *Monſtris*; niſi tantùm, ut *debellentur?* ALIENUM igitur à TE planè *laboris* noſtri *thema*; non *Aliena* pariter, *Mens* & *ſcopus* illius: qui ſolum id, & unicum, quærit; ut *Mortiferorum* ſcelerum *Fructus*, cum ſuis pariter ſtirpibus atque radicibus, exſcindantur. Quò minùs mirandum cuiquam erit, ſi, flagitiorum in *Invectivis* iſtis, *profundum* nonnunquam *ſulcum* aro. Sed, hic idem conatus, hoc ſtudium idem (ſiquis exactè diſcutiat) nec ab OFFICIALIS adeò munere, nec à VICARII *Primatis* (qualis *Tu*) ſollicitudine, ſegregatum eſt, aut eſſe debet. Si namque ſacris *Salomonis* carminibus, ſi *Prophetarum* quorundam oraculis, ſi *Servatoris* ipſiusmet *Parabolæ* geminæ, fides eſt, ut eſſe debet: ECCLESIA *Piorum*, tum omnis *univerſim*, tum unaquæque *particulatim*, HORTUS *irriguus*, & *Pometum* quoddam eſt. Porrò jam, à Chriſto, Chriſtíque vices ob-

Digitized by Google

obeunte, Pontifice Maximo, cuſtodes & coloni *Pomariorum* ejusmodi proximi, ſunt *Diœceſeôn* ſingularum EPISCOPI. *Vices* autem horum, in colendo repurgandóque nemore, tractant & explent illi; quos ii ſibi, *Spiritualium* in *cura*, ſubſtituerunt: *Adminiſtri* nempe *primarii*. Quorum pridem in numero TE quoque, *Comes Illuſtriſſime*, Sereniſſimus LEOPOLDUS GUILIELMUS, Archidux Auſtrius, & *Præſul Paſſavienſis*, ſuæ, ſuprà flumen Anaſſum, Diœceſeos *Vicarium* ſibi *Curatorem* inſtituit, jure quo quem optimo: voluítque, dum *Bellum* ipſe (*Pacis inimicam belluam*) alibi terrarum caſtris & armis reprimeret; ut, inter hæc, in *Pomario* Tu ſuo, velut *Jeremias* alter, *ædificares & plantares*, *evelleres & deſtrueres*, *diſperderes ac diſſipares*. Ut *Plantares*, inquam, *inſereréſque*. Quid, niſi VIRTUTES? Id, quod certè facis & adniteris: *Verbis* quidem efficacibus & ignitis, quoties opus: *Exemplis* autem *Vitæ* (quæ

chalybem *verbis* & aciem addunt) longè *penetrantioribus*: quippe, qui cognitum habeas; NEMINEM aliis *mandare* rectiùs, quàm, qui *Sibi* prior *imperaverit*, & genio ſuo. NUNQUAM *ſucceſſu* meliore *pracipi*, quàm, Suísmet rectè factis *praeundo.* NULLAS unquam firmiori ſtylo *ſcribi* Leges, in *Alios*; quàm, *propriæ* manûs admotis priùs operi Digitis. NEC quenquam *Alieni* muneri *exactorem* ſedere juſtiorem, quàm, qui *Sibiipſi* nihil unquam, præter æquum, indulſerit. *Canonicæ* Dignitatis profeſſionem, non Nudum eſſe *Nomen*; ſed, ad *priſcas* exactam Eccleſiæ *regulas*, Sanctitatem. Hæc Tu, SANTILIERI, *doces*, quia *facis*: &, dum facis; etiam tacitus, facienda clamas. Eapropter, *in TE reſpicitur* ab Omnibus. Id, quod uſqueadeo de Te perſuaſum cunctis eſt, nihil ut verear; nequid hîc *auribus* potiùs, quàm *chartis*, & *publicæ Conſcientiæ* teſtimonio, dare videar. Bene proinde,

de, conſultiſſimèque, *plantandi* Tibi munus *Vicarium*, in Eccleſia Laureacenſi, creditum eſt. Simùl tamen, & eádem operâ, pariter injunctum eſt, ut & *evelleres ac deſtrueres, diſperderes atque diſſipares:* non *Homines* utique, ſed Hominum *perperam-facta*. Nam *mortales* quidem *ipſos*, inſigni ſuavíque, tot jam per annos, dexteritate *tractas*, &, in eorum quoque ſubinde lubrico, *regis*: ut appareat, illud *pampinatorum* prudens *dictamen*, penitùs inſediſſe tibi, quo; *Vitia Vitis, non Vitem ipſam, exſcindendam*, præcipiunt. Siquid igitur *falcis* diſtringis, & auſteræ *ſeveritatis*: nempe, *munus* exerces, *tibi commiſſum*: & *Peſtiferos* hos ipſos *Lethalium delictorum* ramos, ac *Fructus*, avellis & amputas; ne *publicitus* ſaltem, in *Stirpibus* curæ tuæ commiſſis, invaleſcant. Sæpéque (niſi fallor) illius tibi *Publiani* venit in mentem oraculi: quo, *Suorum vitia quisquis diſſimulanter fert, Sua facere*, proclamatur. Ac fortaſſe

nec illud *Baptiſtæ Caſalii* tui, Scriptoris Romani, recentíſque (quo me nuper humaniſſimè donâſti) tuos oculos ſalubre Monitum effúgit, aut elapſum adhuc eſt: quo, *Primæ* ferè ſub *Partis* finem, *Judices*, æquè Profanos *Eccleſiaſticóſque* ſtimulat, ut imitari *cæleſtem* illum *prætorem* meminerint; *Apud quem* (inquit) *nulla perſonarum acceptio: cujus in oculis ſceptra pariantur, ligonibus; lacerna viliſſima, purpuræ.* NEC QUIDQUAM IN HOMINE, QUAM HOMO SPECTATUR IPSE: *cui* denique *ſit in omnibus* ANIMARUM ÆQUA CURA.

Tanti *Tu* quoque *Præſidis* æmulator, SANTILIERI; *Vitia* ſic & ipſe *diſſipas*, ità ſcelerum *evellis* origines: ut, inter *flagitiorum* tamen, (quæ perſéqueris) *Odia*, nihiloſecius *Animas* adhuc *ex æquo* cunctas; *propter Animas* autem, etiam Eos, favore charitatéque ſummâ ſtringas, qui trahendis ad Deum humanis mentibus, intentiore

ſtudio

ſtudio connituntur. Quorum in numero, *Societatem* quoque noſtram *minimam*, ſicut eximiè *diligis*; ſic exquiſitioribus quotidie benevolentiæ ſignificationibus *amplexaris*.

Tantò potioribus igitur jam titulis, eſſe *Tuum* debet, *Comes Illuſtriſſime*, quidquid ubique *Noſtrum* eſt, aut *à nobis* proficiſcitur. In quibus proinde, *Meum* hoc etiam (*Exile* quantumvis, ab *Ingenti* tamen veneratione *tui*: natum) *Xenium*, atque *Strena*, cenſeatur. Cujus *Tu* cùm & *Inſcriptionem*, videas, &, in *Icone* præfixam, *Arborem*, atque FRUCTUS, unà cum *Inſectatione Vitiorum*, libro toto, *non penitùs* à Tuarum profeſſione curarum *alienos*: placidâ tandem Manu, (quod in *Victoria* quondam meo feciſti) patronóque Sinu, cape. Nec tamen in id oneris *Te* (quippe, majoribus diſtrictum) vocare ſim auſus: ut & *pervolvere* Te *Librum* velim. Epiſtolâ ſolâ, jam laſſus eris: & cæterorum oppidò ſatìs *leges*; ſi *Nominis* Tui præſi-

dio *proteges.* Multum *evolves*, ſi vel *digitis* duntaxat hos FRUCTUS; aut (ſi plurimùm) *Oculorum* uno nictu, *permeaveris.* SOL *Unicus*, mundi *Percurſor*, pro *Mille* ſtellis *Fixis* eſt: & Tu, vel *Luſtrator* tantùm & *Oculus* Libelli mei, pro *Plurimo* mihi *Lectore* fies. Vale, *Comes Illuſtriſſime*, Vivéque, tot *annis*, quot *meritis* tuis. Dilingæ, Kalendis Januariis, Anni Chriſtiani M. DC. LII.

Bene-

Digitized by Google

Benevole Lector.

Q*VÆ proximè ſuperioris Anni* Verno Jejunio, *ſuper* Peſtiferis Peccati lethalis Fructibus, *ad populum veſpertinis horis verba feceram*: *ea populus*, Sibi facta, (*ſicut erant ſanè*) *ratus*, Sui *quoque deinceps*, *hoc eſt*, publici juris & *usûs*, *eſſe* Vulgatione *voluit*. *Non poterat illi deſiderio mos in totum geri*: *niſi* linguâ *publicarem eâ*, *quæ non* unum, *quod affatus eram*; *ſed Auditoria* plura, *ſui ſermonis uſu ſtylóque*, *percurreret*: *id eſt*, *eô*, *quô* conſcripſeram EXEMPLA, *non*, *quô* dixeram, *idiomate*. *Quare LATINOS nunc, amice Lector, hos FRVCTVS in manum ſumes*; *quos*, *eloquio productos materno Germanóque*, *popularis tunc Auditor in aures exceperat*. *Neque tamen* (*quanquam in* Latium, *fide quàm optimâ*, *translatô Sermone vernaculo*) *Tullianis hîc Lavianíſque*; *ſed Divinæ Scripturæ*, *Patrum*, *Scholarum*, & *ipſiúsmet Eccleſiæ*, *loquendum verbis erat*: *niſi* fumos *vellem ac* ventos (*in* foro *minimè ſuo*) *tibi venditare*. *quod erat profectò*, Vocularum *potio-*

(††) 4 *rem*,

rem, quàm ipſarúmmet Rerum, habere rationem; &, in Foliorum occupari nugaci ſtrepitu, FRVCTVVM ſoliditate prætermiſſâ. Neque tamen interea tam infenſus eram cultui verborum, & hoſtis; ut eum (ſicubi præſertim illi locus & uſus eſſet) in ſolidum profligarem. Quoniam, ſicuti Spiritui dicentis, ſuus Affectus; Affectuíque, Sermo: ſic Sermonis aſſuetudini, Calami fuerat, inter ſcribendum, Impetus permittendus. Vale: quóſque leges & carpes, iis ſic útere FRVCTIBVS; ut Utilitatis interim Omne punctum, memineris eſſe poſitum, in ABSTINENDO.

Digitized by Google

SYLLABVS EXEMPLORVM TRAGICORUM.

I. Protaſius, Arimæ Regulus. â pag. 10.

II. Idem Protaſius, &, Daiſachius. â pag. 39.

III. Caſtelperſia. â pag. 67.

IV. Sathanas Homicida. â pag. 97.

V. Presbyter Liziniacenſis. â pag. 128.

VI. Catharina Impœnitens. â pag. 163.

VII. Catharina Damnata. â pag. 198.

VIII. Apoſtatæ Japones. â pag. 219.

INDEX HISTORICUS.

A.

Abbatia Bonæ-vallenſis. 139. 140.
Abneris, in bene monentem; contumacia. 238. graviter punita. 239.
Adultera, ſempiterna damnatio. 149. & 250. Adulteri cæſi hypotypoſis. 87.
Æthiopem indutus Diabolus. 187. quid locutus? ibid.
Amaſiæ, Regis Judææ, ſuperba Inobedientia. 33.
Andreæ Pesóa, navarchi, hiſtoria, à pag. 24. uſque. 27.
Angelus, adverſùs Spectrum, ancillam animans. 210. & 211. Ad perfectam Confeſſionem exhortans. 211. Sub Angelica Salutatione manet. 213.
Angli Calviniani, piratæ, cum Hollandis in Japoniam penetrantes, 229. multorum illic malorum cauſſa. 230. 231.
Apoſtata, proditor Catholicorum. 221. & eorundem lictor. ibid.
Apoſtatarum Japonum Hiſtoria à pag. 219. uſque ad pag. 271. Eorum miſerandus interitus. 261. & 262. Apoſtatarum quorundam à fide, vel Eccleſia, memorabiliorum, nomina. 263.
Apparitio matronæ Cremonenſis, horrenda. 215.
Arboris Americanæ, poma noxia. 5.
Arimanorum noxia quædã ſuperſtitio. 23. poſt med.
Auguſtinianus Sacerdos, in navi combuſtus à barbaris. 27. Alius, ejuſdem Ordinis, à Calvinianis captus. 229. vivus combuſtus. 230.

B.

Beauſſenſis Ruſtici hiſtoria. *V.* Ruſticus.

C.

Caij Caligulæ, inceſtus. 74.
Calviniani, *V.* Angli, &, Hollandi.

Caput

Canes Stygii. 116. 117. 118.
Canes, à ſpectro in rabiem acti. 202.
A Canibus occiſi. 118. à med. Et cur quidam? 119.
Cantores funerales, monſtroſi,& formidabiles. 112.
Canzviendonus, Tyrannus. 41.
Captivi pro Fide, Triginta. *V.* Triginta.
Captivi alii viginti Octo. 233.
Captivorum è Carcere eductorum habitus miſerabilis. 232. poſt med. & 233. princip.
Carcer Omuranus. 231. & 233. ante fin. In *Carcerem* habitu mirabili euntes. 131. fin. 232.
Caroli Spinolæ, hiſtoria à pag. 233. uſque. 257.
Caſtelperſia hiſtoria, à pag. 67. uſque ad pag. 95. Ejus cum adultero pactum reciprocum. 94. & 95.
Catharina Peruanæ *Impœnitentis*, hiſtoria, à pag. 163. uſque ad pag. 197.
Catharina Peruanæ *Damnata*, hiſtoria, à pag. 198. uſque ad pag. 219. Cur illius Damnatio jam nunc hominibus propalata ſit? 213. 214. & 215.
Cavara V. Ludovicus.
Chriſtianorum 30. millia, ſupplicio martyrum adſtant. 242.
Cluniacenſe monaſterium. 134.
Cœna hortenſis, à Spectro diſturbata. 206.
Combuſti, propter Fidem. 230.
Confeſſio ſyncera à Diabolo cuidam diſſuadetur, & impeditur. 187. quibúsnam verbis & ratiunculis? ibid.
Confiteri ſacrilegè, quibus verbis quædam ſolita ſit? 211.
Contumacium, adversùs bene monentes, interitus; & exempla conglobata. 238. 239.
Conzuquedónus Japon, quis? 42. Paulum Daifachium ſibi à ſecretis aſſumit. 43. Juſtitiæ, & veri indagandi, ſtudioſus. 48.
Cremonenſis matronæ Damnatæ hiſtoria. 215. & 216. & 249.

Digitized by Google

Crucem, Damnatorum Hominum Spiritus non ſemper & continuò fugiunt. 205.
Crucifixi effiigies, à Spectro miro modo lacerata. 205.

D.

Daiſachius. V. Paulus.
Daiſuſámae, Japoniæ Imperatoris, Tyrannica ferè geſta. pag. 14. 18. 19. 25. 31. 46. 49. 50. 51. 53. dictus quatuor diverſis nominibus. 14. & 230.
Damianus Bausfolius, Concionator; & teſtis oculatus rei miræ. 216.
Davidis pœnitentia, quatenus adhuc duret? 2. & 3. A tempore peccati Davidis, quot anni huc-uſque? 2. & 3. & 9.
Diabolus in beſtia. 51. fin. & 52. In Æthiope. 187. In forma equiſonis. 103. & 104. In ſpecie vulpis. 51. & 52. In ſpecie Leonis. 144. In ſpecie Canum. 116. 117. 118. Religioſo, in ſtatu peccati conſtituto, ſeſe offert. 103. Colloquitur, & unà ambulat. 104. bajulus illius fit. ibid. deprehenditur. ibid. & evaneſcit. 105. Quanto cum furore? ibid. Suffocare conatus juvenem. & cur? 106.
Dilingae topotheſia, comparata. 242. & 243.
Dolor. ob peccatum commiſſum, tragicus. 250. & tamen infructuoſus. ibid.
Dominicanus Sacerdos, ab hæreticis captus. 229. pro Fide, combuſtus. 230. Dominicani alii pro Chriſto vincti, undecim. 233.

E.

Equitis Hiſpani hiſtoria portentoſa. à pag. 107. uſque ad pag. 121.
Equus à damnato Spiritu in furorem actus. 202.
Eſaui contumacia, adversùs parentes. 238. mali exitûs. ibid.
Exercitus duo, præſentes ſupplicio martyrum. 242. med.
Exſequia

Exſequiæ paradoxæ, & Spectris plenæ. 111. 112. 113. Earum apparatûs, deſcriptio. 111. ad fin. & 112. princip. Etiam viventi adhuc, celebratæ. 112.

F.

Famulus, Domini ſui, ſed legitimus, Carnifex. 61. & 64. ante fin.
Fáxiba Taiçosáma, Japoniæ Monarcha, Evangelii perſecutor. 20. princ.
Fernanda Luſitana. V. Iſabella Fern:
Fines, proneptis Daifusámæ Imper. Japon. hiſtoria, & impietas. pag. 31. 32. 47. 48. 59. 60. uſq; ad med.
Fœminæ damnatæ, quæ Sanctulæ videbantur. 215.
Franciſcani, pro Fide vincti, quatuor. 233.
Fúſcimum, urbs Japonum. 47.

G.

Gabini Juvenis, ingens periculum. 106.
Gabriel Bartholomæus Gramondus. 69.
Gehennæ Gutta unica, quàm penetrativa. 154. 155. & 156.
Geraséni, cur in Porcis ſuis puniti? 119.
Gonrócus, Gubernator Nangaſaquienſis. 230. 231. poſt med. 232. 242. 251.
Gutta Ignis Tartarei. 154.

H.

Hollandi Calviniſtæ, in mari Japonico latrocinantur. 229. *Vide* cætera Verbo, *Angli*.
Hortulanus impoſtor. 78. poſt med.
Hoſpitio Religioſos excepiſſe, carô ſtetit. 231. 232.

I.

Iacobus Samaniegus, Cath. Peruanæ à confeſſionibus. 182. 183. 189. 193.
Iapones, in Sinis tumultuantes, puniti. 25. falſsâ delatione, cauſſa magni mali. ibid. Eorum, in ſeipſos, impia generoſitas. 50. ante fin. & 60. Mos, in de-

in decollationibus magnatum. 62. falſa de noſtris, ex Europa, Evangelii promulgatoribus, ad eos miſſis, opinio. 252. ad med.
Ignatii, pueri Japonis quadriennis, hiſtoria. 253. 254. à med. ad fin.
Ignis in grandiſſimos quoſque peccatores, miſſus, aut præparatus. 147.
Imago Chriſti Crucifixi, foribus affixa, adversùs Spectrum. 205. laceratur miro modo. ibid.
Ioachimus, navis Catholicæ præfectus, captus. 229. vivus comburitur. 230.
Ioannis circa nomen, fabula populi Arimani. 23. & 24.
Iſabella Fernandæ, Luſitanæ, hiſtoria. 253. 254.
Iulianus Imperator. 239.
Iuſta, Protaſii Arimani uxoris, matronæ inſignis, hiſtoria. 15. 16. item. 47. 49. 53. 54. 57. 58. per totum. Item. 62. & 63.

L.

Leones horribiles. 144.
Lingua nequam, ingentium malorum cauſſa. 230. & 231.
Liziniacenſis Presbyteri terribilis hiſtoria, à pag. 128. uſque ad pag. 161.
Liziniácum, quo nomine olim alio? ubi ſitum? 135.
Lucia de Freytes, hiſtoria memorabilis. 246. 247. 258.
Luxurioſa mulieris, poſt mortem, Zona & faſcia. 210.
Ludovicus Cavára, quid hominis? 258. Societatem Jeſu intrat. 259. Apoſtatas retrahere conatur. ibid. Unum reducit. ibid. pro Chriſto, vivus exuritur. 257.

M.

S. Magdalena, peccatricem hortatur ad perfectam Confeſſionem. 187.
Manus peccatrix, horrendè punita. 154. & 155.

Martha,

Martha, Michaëlis Arimani conjux, nobiliſſima. quibus moribus? 31. Repudiatur, poſt diuturnam cohabitationem. 32. & cur? ibid. quomodo deinceps vixerit? ibid. à med.

Martyrum Japonenſium agmina duo diverſa, palmifera. 244. & 245. viginti quinque columnæ. 245. ad columnas laxa vintula: & cur? ibid. Eorum reliqua hiſtoria. 246. 247. uſque ad 157.

Matrimonii lethalis abuſus: damnationis æternæ cauſſa. 215. & 116. & 249.

Matrona Chriſtiana, vexillifera. 231. 232.

Matrona Cremonenſis *V.* Crem. Japonica *V.* Lucia. Luſitana. *V.* Iſabella. Romana. *V.* Rom.

Matronæ Chriſtianæ, in carcerem, cum parvulis. ob Fidem, ductæ. 231.

Michaëlis, filii Protaſii, Regis Arimæ, hiſtoria, & ſcelera. 31. 32. 47. 48. 53. 54. 59. 60. 259.

Mimbudónus, Tangodóni filius, fidem, exemplo patris, deſerit. 17.

N.

Nangaſaquienſis Gubernator. *V.* Gonrócus.

Nangaſaquis triginta Chriſtiani capiuntur. 231.

Nangaſaquii topotheſia, ad noſtram accomodata. 242. & 243.

Navis Luſitanorum onerariæ expugnatæ, hiſtoria. à pag. 27. uſque ad 46.

Nautæ Japones duodecim, capti à Calvinianis, plectuntur à barbaris capite. 230.

Nicephorus, Civis Antiochenus. 239. fit martyr, loco Inimici ſui. ibid.

O.

Odio in proximum oneratus, nocte periclitatur à Diabolo. 105. & 106.

Odium pertinaciter retinens, fit apoſtata à Fide. 239.

Omura regulus, Tangodonus, à Fide dficit. 17.

alios

alios quoque trahit. ibid. Ejus Sorores, conſtantes. ibid.

Omura, urbe Japouum, in carcerem pro Fide conjecti multi. 232.

P.

Panatius, Caſtelperſiæ frater, quid hominis? 72. in Sorore uterina, infamis. 73. miſerè perit. 88. & 90.

Paulini, Vicecomitis Gallicani, adulteri, hiſtoria, à pag. 73. uſque ad 90. Ejus interitus. ibid. ejuſdem reperta, poſt mortem, ſyngrapha nequam. 94. & 95. & 98.

Pauli Daifachii Hiſtoria luctuoſa, à pag. 39. uſque ad pag. 53.

Peccatum mortale, Diabolus Confeſſurus extenuat. 187. &c.

Petrus Venerabilis, quid hominis? quo cognomine? Quanta in æſtimatione, ipſe, & opera illius? 134.

Pictor diffictus & nequam. 78.

Pilati uxor. 239.

Pilatus, bene monentem aſpernatus. 239. miſerè perit. ibid.

Porcellus excoriatus, monſtroſus. 215. Porci Goraſenorum. 119.

Presbyter Antiochenus. *V.* Sapritius.

Presbyter Liziniacenſis. *V.* Liziniacenſis.

Procula, Pilati uxor. 239.

Protaſis, Arimanorum Regis, hiſtoria, à pag. 10. uſque ad pag. 65.

Puerulus, quatuor annorum, V. Ignatius Japon.

R.

Rapiſtagnus, Paulinus Vice-Comes. 73. & 79. Vide etiam, *Paulinus*. ſuprà.

Religioſi, rixantes. 102.

Reliquiarum ſacrarũ præſentiſſima Vis. 52. & 206.

Religioſi

Religioſi viginti quatuor ſimul, pro Fide in carcerem conjecti. 233.
Reyneſii, nobilis Aquitani, hiſtoria, circa uxoris adulterium, à pag. 71. uſque ad 90.
Riosógus, immanis tyrannus, à quo occiſus? 14.
Romana matronæ, damnatæ, hiſtoria. 249. & 250.
Ruſtici Beauſſenſis, tragica hiſtoria. 122. fin. & per totum, pag. 123.

S.

Sabbato Sancto, Crudele ſupplicium. 50.
Safyoius, Gubernator Nangaſaquianus. 46. 49. Ejus nepos. 231. med.
Sartagines Inferæ. 152. & 153.
Sathanas Homicida, per hiſtoriam triparitam, à pag. 97. uſque ad pag. 127.
Sacrilegè confitentes, damnati. 211. & 215. 216. & 249. 250.
Samaniegus. V. *Iacobus*.
Sapritius, presbyter Antiochenus, in odio fraterno pertinax. 239. in ipſo martyrii momento, fit apoſtata. ibid.
Sebaſtianus Chimura. 257.
Societatis pravæ, fructus & exitus pravus. 46. & 47.
Societatis Jeſu religioſi novem, pro Fide vincti; & ducti. 233
Spectrum, diſturbat cœnam. 206. Sacris reliquiis fugatum. ibid. Spectri deſcripta ſpecies horribilis. 209. & 210. Ejus oratio. 210. & 211. & 212. Alterius ſpectri. 215. & 216,
Sukendaynus, Vice-Gubernator Nangaſaquianus. 251. præſidet ſuppſicio P. Caroli Spinolæ, & ſociorum. ibid. quantâ magnificentiâ? ibid. ad eum Apoſtatæ Japones refugiunt. 260. ſed ſpreti, in ignem remittuntur. 261.
Surunga, Japonum urbs. 25. Sedes Imperatoris. ibid. & 32. & 47.

Suſpendio ſpontaneo mortui. 123.

T.

Taicoſáma. *V*. Fáxiba.
Tangodonus. *V*. Omuræ regulus.
Tarrazavandónus, Fidei deſertor: ac poſtmodo Chriſtianorum crudelis Perſecutor. 17.
Tecta, de ſcandulis palmarum. 203.
Tegula, & láteres, ubi non in uſu? 203.
Templum ſpectris refertum nocturnis. 111. & 112.
Thomas Cantipratanus, quis fuerit? 175. Ejus Sententia ſevera, ſed vera, de Amoribus ſpurcis. 175. & 176. Quàm ingentia in illis mala fiant? generatim. 176.
Thomæ Cœnobitæ, formidoloſa hiſtoria, à pag. 102.
Thomas rixatur cum fratribus omnibus, ibid. & pag. 103.
A Fratribus, & conventu, ſecedit. 103.
In ignotam & monſtroſam hominis Speciem incidit. ibid.
Cum ea fabulatur, & ambulat. 103. & 104.
Nimiùm illi fidens, graviter periclitatur. 104.
Deprehendit tandem deluſionem ſui, & periculum. ibid. ad fin.
Invocato Dei nomine & auxilio, evadit. ibid. & 105.
Quanto è diſcrimine, ex Effectu? 105.
Ad ſe tandem redit. 106. &, ob id, quantas Deo opitulanti gratias debuerit? ibid.
Tonus, qui Japonibus ſonet? 14.
Tragica infortunia, in acervum. 122
Trepidantis, ad conſpectum apparentis ſpectri, hypotypóſis. 208. 210.
Triginta Chriſtianorum, ſimùl Nangaſaquii captorum, Hiſtoria. à pag. 231.
In Fide conſtantiſſimi. ibid.

In

In Carcerem, tanquam triumphantes, eunt. 232.
Parvulos ſuos, matres unà geſtant; & quo ritu? ibid.
Quot in iis fuerint Viri, conjugatæ, viduæ, pueri? 244.
Educuntur ad Supplicii locum; & quo ornatu? ibidem.
Intrà campum ſupplicii ſtantes, mortem præſtolantur. 245.
Ante ſupplicium, alacriter cum aliis cantant. 252.
In genua procumbunt, ictui excipiendo. 253.
Incitantur magìs, duorum, ex ſuo numero, mirabili fervore: alterius quidem, Fœminæ. 253. & 254. alterius autem, pueruli. 254.
Excipiunt mortis ictum concorditer. ibid.
Eorum capita, ſuffixa, proponuntur ad ſpectaculum. & cur? 255. ad med.

V.

Vas, à ſpectro libratum in hominem. 202. Rurſus in aliam perſonam; alliditur ad parietem. 205.
Vicecomes de *Panato*: homo inceſtuoſus vulgò creditus. 73.
Cum Vicecomite Paulino, ventitat ad Sororem. 85. & 86. Secubat tamen. 86.
Excitatus tumultu, profilit. 87. fin.
Affini ſuo obloquitur: & interficitur. 88.
De hujus Animæ ſtatu, quæ Spes Salutis? ibid. med. & 90.
Vicecomes, de *Paulino*, (aliter, etiam *Rapiſtagnus*) Caſtelperſiæ procus. 73.
Ex proco, paullatim & mœchus ipſius. 78.
Quibúſnam ſceleris initiis, ac fraudibus? ibid. à med. & 79.
Senſim audaciùs peccat, & apertiùs. 79. ad med. & 80. uſque ultrà med.

Digitized by Google

Famulos, & ancillas habet, ſceleris adminiſtras. 79. & 80.

Intempeſtè, & importunè venit; atque admittitur. 80.

Fit marito Caſtelperſiæ ſuſpectus. 82.

Proditur, eventu inopinato. 83.

Inſidiæ componuntur in caput illius, à marito. 85.
abſente eo, accerſitur à Caſtelperſia. 85.

Venit, adverſùm inſidias providus, & armatus: ſed parùm ſufficienter. 86.

In ſcelere deprehenſus. 86. fin. & 87. confligit cum adulteræ marito. 87.

In pugnâ cadit. ibid. Inſepultus aliquamdiu. 89.

De exceſſu illius, & Animæ ſtatu, quæ Spes? 90. ante med.

Ejus, poſt interitum, Scrinia reſerata, & excuſſa. 94. quid ſecreti deteſtabilis aſſervârint? ibid. & 95. & 98.

Victoriani comites, per inediam & imprudentiam, incidunt in Poma peregrina. 5.

Comeſtis iis, graviſſimè cruciantur. ibid.

Eorum miſerandus, in illo morbo, geſtus, & volutatio. ibid.

In navim neceſſariò reducuntur, ad ſanitatem recuperandam. 5. fin. & 6. princip.

Virgo, Deo, per vota ſollemnia, conſecrata. 107.

Liberè nimis, cum Equite ſæculari, converſatur. ibid. & 108.

Crebris, cum eo, colloquiis pervertitur. ibid.

In ſui denique corruptelam nefariè conſentit. 108.

Ad malitiam explendam, fraudem excogitat; & proco dictat. 108. à med. & 109.

Fortaſſis à malo propoſito tandem reſiliit. 110. & idcirco, flagitio impedito (per mirifica Spectra) ad operis conſummationem non pervé-

nit

hit. 111. & ſeqq. pagin.
Quem videatur habuiſſe, in ſtatu malæ voluntatis ſuæ, Cuſtodem & excubitorem, loco Sancti Angeli? 117.
Vratúma, locus Japoniæ, Diverſorium nocturnum, pro Fide captivorum-viginti octo. 232. & 241.
Vulpis ſpeciem indutus Diabolus. pag. 51.
Paulum Daifachium infeſtat. ibid. & pag. 52.
Articulatè loquitur. 52.
Sacris Lipſanis implexa vulpes, occiditur. 52.
Quid portenderit vulpinum illud Spectrum? 52. à med.
Vxor hominis, munerum acceptatoris, in graviſſimum vitæ periculum adducta, ſuſpicione communicati ſceleris. 51.
Adjudicatur eidem, cum marito, generi ſupplicii. ibid.
A Concubina Imperatoris, exempta pœnæ; cogitur tamen, adeſſe viro. 51.
Cujus Salutem æternam inſigniter procurat. ibidem.

X.

Xogúnus, Japoniæ Imperator, geminus. Alter, Senior dictus. pag. 14. 230. ante med. Alter, Junior. 230.
Xogúnus Senior alio nomine Daifusáma quoque & Cubus, & Cuboſama, poſt Imperii ſui ingreſſum, dictus, pag. 14. & 230.
A quo promotus ad Imperium? pag. 14. ad fin. & pag. 15. princip.
Protaſium, Arimæ Regem, ſollicitat ad defectionem, à Religione Chriſtiana. 18. Sed à Protaſio, egregiè repulſus, tandem cedit; &, ad tempus,

Digitized by Google

tempus, diſſimulat. ibid.
Nobilitatem Joponicam omnem, univerſim, Chriſtianis Sacris aſſumendis, interdicit. ibid. ad fin. & 19. ad princip.
Templa Chriſtianorum omnia, unico edicto tyrannico, ſimul everti, imperat. 18.
Eluditur tamen injuſtum ejus hoc imperium, contrario Protaſii facto. pag. 19. à quo fortiſſimè ei, per internuntium, reſpondetur. 20.
Eidem tamen Protaſio, Crudele poſtmodum, & injuſtum, negotium committit, adversùs Luſitanos. 25. & cur? ibid.
Ejus dormitantia, in utrâque parte audiendâ. 25.
Ejuſdem aſtutum & nefarium conſilium, ſuggeſtum Protaſio, circa novas & illegitimas filii ipſius nuptias. 31.
Vir fuit inconſtans, & in Sententiis ſuis variabilis. 46.
Cauſſæ protaſii, & Pauli Daifachii, cognoſcendæ, ſeſe interponit. 49.
Eâ occaſione graviter adversùm Chriſtianos commotus, ibid. In eos injuſtiſſimè, & per ſummam imperitiam, argumentatur, ac detonat. 50.
Daifachium, crudeli ſupplicio tolli de medio jubet. 50. & 51.
Protaſium, Arimæ quondam Regem, proſcribit. 50. & reipſa in exilium exturbat. 53.
Michaëli, Protaſii filio, ditiones paternas tradit; ſed conditionibus, ſupra modum impiis. 53.
Ad necandum Protaſium, impellitur à filio ipſius, & nutu. 60.
Tandem in ejus necem conſentit: & exſecutores ſupplicii mittit. 60.
Xogúnus Iunior, Imperator (poſt patrem) totius Japoniæ.

Japoniæ. 230.
A Calvinianis inſtigatus, occidit Religioſos duos crudeliter, ac tredecim Sæculares. ibid. ad med.
Edicta præterea perſecutionis acerrimæ, contra Religioſos omnes, & eorum receptatores, promulgat. 230. & 231.
Eadem deinceps crudeliſſimè exſequenda curat. 231. ac. 254. & 256.

Z.

Zona & Faſcia, Spectri cujuſdam. 210.



Digitized by Google

S. PAULUS

Ad Romanos,

Cap. 6. v. 20. & 21.

Cùm Servi eſſetis PECCATI; Liberi fuiſtis Juſtitiæ. Quem ergo FRUCTUM habuiſtis tunc, in illis, in quibus nunc Erubeſcitis? Nam Finis illorum, MORS eſt.

S. GREGORIUS MAGNUS.

Ad Magnam JUSTITIAM Judicantis pertinet, ut nunquam careant SUPPLICIO, qui, in hac vita, nunquam voluerunt carere PECCATO.

Lib. 4. Dialogor. cap. 44.

De Pe-

Digitized by Google

De Peſtiferis Peccatorum Mortalium Fructibus,

EXEMPLA TRAGICA.

PROOEMIUM.

Peccati Mortalis Continuam oportere eſſe Pœnitudinem, ob Fructus illius Exitiabiles, ac diu durantes: quorum, Neceſſariam eſſe Declarationem.

Dictum 24. Februarij, Feſto S. Matthiæ Apoſtoli, Veſperi, poſt Pſalmum Miſerere decantatum.

(I.)

PSALMVS iſte, numero *Quinquageſimus*, utilitate facilè *Primus*, aut inter primos, quem modò decantari Veſtra Charitas audivit: compoſitus fuit, & multis cum lachrymis recitatus, à Davide, Palæſtinæ Rege, propter admiſſum Geminum *Mortale Peccatum*; Homicidium videlicet adverſùs Vriam, Heroëm innocentem, & Adulterium cum Bethſabea, filia Eliámi, uxore Vriæ (*A.*) ſicut partim docet Inſcriptio ipſa Pſalmi, quæ talis eſt; *In finem, Pſalmus David, cùm venit ad eum Nathan Propheta: quando intravit ad Bethſabee*: partim verba pſalmi hujus ipſius, verſu decimo ſexto. *Libera me de Sanguinibus*

A (non

(non Sanguine tantùm homicidij, ſed alieno etiam ſemine & ſanguine adulterato) *Deus, Deus ſalutis mea.*

II. Davidis Regis exemplo, Eccleſiæ Catholicæ laudabilis conſuetudo, non in Occidente tantùm noſtro, ſed in ultimis etiam Orientis regnis; in Iapone Indiáque, (*B.*) ubi Chriſtiani cœtus & templa ſunt, filios ſuos ac filias inſtruit, impellítque: ut quotannis, per univerſam Quadrageſimam, Pſalmum hunc vel cantent, magnâ cum devotione; vel recitent ſub aliorum cantu; vel denique ſaltem piè interſint alienæ recitationi & cantui, cum contritione cordis, in deteſtationem, deflectionem, & expiationẽ Omnium *Peccatorum:* præſertim verò, & ante omnia, *Mortalium.* Et hac ratione expletur, ac verum fit, hinc quidem, quod ipſemet Pœnitens David vaticinatus fuiſſe videri poteſt; ad Exemplũ ſcilicet Pœnitentiæ ſuæ, alios quoque quàm plurimos Peccatores & Peccatrices, emendatum iri: quando dixit in hoc ipſo Pſalmo; *Docebo iniquos vias tuas, & Impij ad te convertentur:* Indè verò, quod de hac ipſa Regis hujus pœnitentia Sanctus Ambroſius poſtea ſcripſit, Libro, de Apologia David, capite primo; *Peccavit David: Confeſſus eſt culpam; obſecravit indulgentiam; humi ſtratus, deploravit ærumnam; ieiunavit, oravit; Confeſſionis ſua teſtimonium, in Perpetua ſacula vulgato dolore, tranſmiſit. In Perpetua* (inquit) *Sacula;* & ex conſequenti, etiam in Noſtra hucuſque Tempora, Sæculúmque noſtrum: hoc eſt, *A Morte* quidem Davidis, bis mille jam, ſeptingentis, viginti quatuor annis interlapſis; *à Peccato* verò (quod circa hoc ipſum tempus vernum evenit) annis bis mille, ſeptingentis, quadraginta octo. (*C.*) Quo univerſo

Digitized by Google

ſo tempore Davidis Pœnitentia, de Duobus perpetratis *Peccatis Lethiferis*, ſuo quodam certóque modo, durat, in hunc etiam, quo hæc loquimur & audivimus, diem, Februarij vigeſimum quintum, Anni Chriſtiani milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi primi: non in Perſona quidem Davidis (cùm in Beatos *luctus* ac *Dolor* non cadant; quod Apocalypſeos capite vigeſimo primo, verſu quarto, cõſignatum eſt) ſed in ſucceſſione tamen ac Poſteritate Pœnitentium; Davidis Regis exemplo, lugubribus vocibus cœlum rumpentium, quotidiéque clamantium; *Miſerere mei, Deus; ſecundùm magnam miſericordiam tuam!*

III. Etſi verò longè veriſſimum ſit, Regem Davidem jam ampliùs, poſt viginti ſeptem Sæcula, quadragintáque octo annos, à ſuo illo duplici perpetrato Scelere, non durare in luctu & ſqualore Pœnitentiæ: Si tamen Deo placuiſſet, ei vitam prorogare temporalem, in hunc uſque diem, ſicut Mathuſalæ quondam, ad nongentos ſexaginta novem annos produxit; & patri Senis hujus, Enócho, uſque in præſentem adhuc lucem prorogat (*D.*): ex animo credo, Davidem toto hoc tempore, in diem uſque hodiernum, in Statu Pœnitentiæ (ſaltem Interioris) perſtiturum fuiſſe. Cauſſa eſt. Quia, ſepoſitâ *ſpeciali revelatione Divinâ, de Remiſsâ omni tam Pœnâ, quàm culpâ*; adhuc ſemper ſine mendacio, ac diffidentiâ miſericordiæ Divinæ, diceret; *Iniquitatem meam ego cognoſco; & Peccatum meum Contra me eſt Semper*: (E.) adhuc in auribus illius & corde clangeret ac gemeret Vox Spiritùs Sancti, per Jeſum poſtea, Sirâchi filium, intonata, Eccleſiaſtici capite & verſu quinto; *De Propitiato peccato, noli eſſe ſine metu!* Frequentiſſimè

Prooemium.

mè enim, *Etſi Dimiſſa culpa ſit, nondum omnis tamen indulta Pœna eſt.* qua de re legi, præter alios complures, Divus quoque Thomas poteſt, 1. 2. quæſt. 87. art. 6. o. & 3. p. q. 86. a. 4. o. neſcimúſque, dilectiſſimi, quid nos poſthac maneat aut ſequatur; cùm *Iudicia Dei* ſint *abyſſus multa*: Pſalmo 35. verſ. 7. Et alioquin *Peccata*, (præſertim graviora) jam *peracta*, ac præterita, ſic ex natura ſua conſtituta ſunt; ut in Homine, dummodo non penitùs indurato, diuturnam animæ *inquietudinem*, conſcientiæ *roſionem*, metum, ac pavorem futurorum, efficiant; cum horribili *Synthereſeos* tormento.

IV. Quapropter, ſimilia ſunt *Peccata Mortifera* Cibis quibuſdam, qui cum delectatione quidē comeduntur; ſed, quia in ſeipſis præduri ſunt & indigeſtibiles: cruciatum deinde in Stomacho, atque interioribus hominis, imò & ægritudines, creant; longè diuturniores, quàm mora voluptatis fuerit in comeſtione: ideóque egent non unâ tantummodo, ſed ſæpius repetitâ medicinâ, theriacâ, Mithridatico, egeſtionibus: ut illud quaſi continuò clamare morbida viſcera videantur, *Ampliùs*, Ampliúſque *lava me*! Id quod ex parte quadam, ac benè, notavit etiam Cornelius à Lapide, in ſecundæ ad Corinthios epiſtolæ ſextum caput, verſúmque vigeſſimum primum commentans: cùm illa Oſeæ verba cap. 4. verſ. 8. adducit & exponit. *Peccata populi mei Comedent.* Et idcirco ſapienter Plato, *Voluptatem* hominum *nefariam*, appellavit *Eſcam Malorum*. (*F.*) eſcam, peſſimi utique effectûs, &, qualem Improbi mereri debent.

V. Immò, ſi aliquantò propiùs accedendum ſit, ad ſimilitudinem *Peccati Mortalis*, ac *Cibi Delectabilis*: Peccatum *Mortiferum* jure meritiſſimo compa-

comparari poteſt *Arbori* illi ac *Pomo*, quibus tactis ac deguſtatis, Protoplaſtes Adam (*G.*) ſibi quidem ipſi *Lethale*, nobis autem omnibus, ex eo deſcendentibus, *Originis Peccatum* conſcivit: & utriſque, hoc eſt, tam ſibi, quàm omni Poſteritati, mortem animarum atque Corporum, & infinita mala, & Væ inexplicabile, adduxit. Aut fortaſſis haud incommodè aſſimilari quoque *Delictum Mortiferum*, cum effectibus ſuis tetris, poſſet *Arbori* cuidam *Americanæ*, ejúsque *Pomis*. Hæc, teſt e Petro Victoria, *Itinerarij* ſui capite tertio, (*H.*) reperitur in Sylva quadam, circa *Nicaragua*, Septentrionalis in America Provinciæ, fines: profértque *Poma*, aſpectu pulcra, contactu mitia, guſtatúque ſuavia. Verùm, cùm Itineris Victoriani comites quidam ac Socij, in ea famelici incidiſſent; mox & impatientiâ famis (quæ Judicium omne ſubvertit) irruiſſent, decerptóſque ſtirpis ignotæ fructus aviditate inexplebili devorâſſent: non multò pòſt in viſceribus, tanquam flammâ quapiam receptâ, torqueri miris & horrendis modis cœperunt: coactíque, furentium more, proſternere ſeſe, & in omnes jactare partes; nunc in ventrem proni, nunc in tergum extento corpore ſupini, miſerandis cum ejulatibus, ac cæterorum cum ingenti conſternatione, huc illuc volutabantur. Cauſſa erat; quia Specioſæ illius arboris jucunda quidem POMA, ſed VENENATA fuerant, quod eos *eventus*, *peſſimus ſera ſapientiæ magiſter*, edocuit. nec potuit ibi miſeris illis ullo ſubſidio medicaminéque ſuccurri: ſed, de communi ſanorum conſilio (qui fructus illos inſidioſos non contigerant) reducti tandem reportatíque neceſſariò ſunt in PORTVM ac NAVEM, quam, ante gulam illam, reliquerant. Eo

Procemium.

loco, curatíne ſint, nécne; nec tradidit in *Commentariolo* ſuo hic auctor, nec adeò reſcire potuit; ab eis deinceps longiſſimè divulſus.

VI. Talis eſt planè, nec alia *Arbor*, *Peccatum Mortale*. Mortale verò Peccatum illud intelligo ac deſigno; *Quod tam enormiter Deum ter Optimum maximum offendit: ut ipſa ſui commiſſione, è veſtigio mortificet* (ut in Scholis loquuntur) *& occidat Animam committentis: extinguendo in ea, quantum ex vi ſua eſt, Gratiam Iuſtificantem, Charitatem, & Amicitiam Dei, quæ veriſſima ſunt Animæ Vita*: ut de *Peccato Mortali* loquitur ac docet S. Thomas Aquinas 1. 2. quæſt. 88. & 89. Tales, & non alij, ſunt *Fructus* ac *Poma Peccatorum Mortalium* FRVCTVS, inquam, PESTIFERI, Venenum videlicet, intimè receptum: hoc eſt, *Macula* ipſa *Culpæ*, quæ nullis Humanis ac naturalibus medicinis & lavacris, unquam expugnari poteſt atque elui: ſed ſemper vociferandum; *Aſperges me hyſſopo, & mundabor* (ſupernaturalibus abſterſionibus) ſemper ingemiſcendum, & obſecrandũ; *Amplius Lava me ab Iniquitate mea*, (effuſioris indulgentiæ gratiâ, quâ omnes etiam *Reliquiæ culpæ* tollantur) *& à Peccato meo munda me*. (*I.*) *Fructus Peſtiferi*, id eſt, *Reatus Pœnæ*, (ſeu Obligatio ad Pœnam, Debitúmque ſubeundæ Pœnæ; & ejus quidem Sempiternæ) *Fructus Peſtiferi*, ipſæ Pœnæ, Temporales & Perpetuæ; Corporales ac Spirituales; Interiores & Exteriores; Præſentes & Futuræ; Diaboli Servitus ac Mancipatus; Laniena Carnificináque Conſcientiæ; Væ Sempiternum in Ore; Fletus inextergibilis in Oculis; Gehennæ inextinguibilis Ardor: in Anima quidem, poſt mortem ſtatim; in Corpore verò pariter & inſuper, poſt univerſale

verſale Judicium. Numquid (dilecte) numquid Venenati hi, PESTIFERIQVE FRVCTVS, non creant *in Viſceribus Tormentum*? & longè quidem atrocius, quàm AMERICANA illa, VENENATA POMA? *Vermem*, inquam, & Cruciatum Conſcientiæ; *qui*, Chriſto teſte (Marci 9. verſ. 44.) *nunquam moritur*? Numquid non, præ dolore concepto, inquietos faciunt devoratores ſuos; ſicut ſcriptum eſt Apocalypſeos 14. capite, verſu XI. *requiem non habent die ac nocte*? Numquid non in furorem ac rabiem agunt eos, præ cruciatûs magnitudine? proliciúntque Voces, & clamores, & ſui volutationes inſanas, ſicut in eâdem Apocalypſi, capite alio, (*K.*) ſcribitur; *Commanducaverunt Linguas ſuas, præ dolore: & blaſphemaverunt Deum Cœli, præ doloribus & vulneribus ſuis*? Numquid non verum & hîc eſt; Non eſſe medicamen ullum, apud eos, & pro illis, qui adhuc in VIA ſunt Præſentis Vitæ (nam, qui ex *Peſtifero* hoc *bolo* perjêre jam, & in *Termino* ſunt ſuo conſtituti, *Bis mortui* ſunt, teſte S. Thaddæo, in Catholica ſua epiſtola, verſ. 13.) niſi *Revertantur*, & Gratiæ Divinæ miſericordibus brachiis *Reportentur* (veluti Petri Victoriæ comites illi morbidi) ad *Naviculam Petri*, in *Portum Pœnitentiæ*, ad mare & *Aquas-Amaras Contritionis*, atque ad *Tabulam* (ut loquuntur SS. Patres) *Secundam poſt Naufragium*? (*L.*)

VII. Undénam hæc Omnia, ô Peccator, ô Peccatrix? *Nónne, quia comediſti de ligno, de quo præceperat tibi Deus, ne comederes*? (*M.*) de Arbore, inquam, & Malis *Peccati Lethalis*, De *Malo Inquieto, Pleno Veneno Mortifero*? (*N.*) *De Vinea Sodomorum, De Suburbanis Gomorrhæ, De Vva Fellis, De*

Digitized by Google

Botris amariſſimis, *De Felle Draconum*, *De Veneno aſpidum inſanabili*? (O.) Nunc ergo Tempus, nunc hora eſt, ut acclamet tibi Sanctus, & in utero matris Sanctificatus, Jeremias; *Scito*, *& vide*! *quia malum & AMARVM eſt*, *Reliquiſſe te Dominum Deum tuum*: *& non eſſe*, *Timorem mei apud te*, *dicit Dominus exercituum*. (*P.*) Atque utinam! utinam! id ſaltem faceremus, qui *Lethiferos* hoſce *Peccati Mortalis* fœtus deglutivimus, ut *Sciremus*, *& videremus* (quibus vocibus Propheta non temerè utitur, & monet) *Malitiam*, *& Amaritudinem* inexplicabilem PESTIFERORVM *Peccati Lethalis* FRVCTVVM: id eſt, Damnorum & POENARVM intolerabilium! Fortaſſis enim ad Cor noſtrum, & ad Deum tandem reverteremur.

VIII. Sed (quod Malorum omnium Peſſimum eſt) Peccatores & Peccatrices, *Gens ſunt* (quod Deus in Verbo ſuo deplorat) *abſque Conſilio*, *& ſine Prudentia*. *Vtinam ſaperent*; *& Intelligerent* (hanc *Malitiam* & *Amaritudinem*) ac *Noviſſima* (Pœnas ſcilicet immutabiles & irrevocabiles *Delictorum Mortalium*) *providerent*! (*Q.*) Quoniam autem, nec *Intelligunt*, nec *Provident*: Omnium profectò neceſſitatum ſuprema neceſſitas eſt; ut ſine ceſſatione doceantur, hæc *Noviſſima*, & hos *Peſtiferos Fructus Peccatorum Mortalium* agnoſcere, ac penetrare.

IX. Hoc igitur, dilectiſſimi (ſi Deus permiſerit, & gratiam ſuam ſubminiſtraverit) faciam ego, *non per Omnes* quidem, ſed per Eminentiores quoſdam *Peccati Lethiferi Fructus*, Quadrageſimæ præſentis Diebus feſtis, ac Dominicis: diſſerendo de Scelerum mortiferorum peſſimis Effectibus, *FORMIDANDISQVE* in hoc & altero ſæculo *POENIS*;

Digitized by Google

NIS; per Sacrorum utriuſque Teſtamenti Voluminum, ac Patrum Doctorúmque Teſtimonia: maximè verò, per EXEMPLA TRAGICA, eáque ferè RECENTIORA, noſtrorúmque (quoad ejus fieri poterit) Temporum & ætatum. Initium autem ducam *à Pœnis* MORTIS TEMPORALIS, *per Sacularε brachium inflictis*: quas magnopere mortales, & propter infamiam publicam, & propter ipſius vitæ præcipitem jacturam, metuere, horrere, deploraréque ſolent: ſi præſertim *Perſonæ* ſint *altæ Dignitatis.* cujus ſpecimen habemus in Agago, Amalecitarum illo Rege; qui, propter tyrannidem immanem, occidendus à Samuele, coram Saule rege & exercitu tremens exclamavit; *Siccine ſeparat amara MORS?* (*R.*)

TESTIMONIA.

(A.) *2. Regum cap. 11. per totum.* (B.) *Vide Annuas P. Gabrielis Matoſos, anno 1603 tit. Domus Arimana.* (C.) *Iuxta ſupputationem Iacobi Saliani, ab anno mundi 2998. quo peccavit David. & 3021. quo mortuus eſt; uſque ad præſentem 1651.* (D.) *Geneſ. 5. verſ. 24. & v. 27. & Eccleſiaſtici cap. 44. v. 16. & Hebr. cap. 11. verſ. 5.* (E.) *Pſalm. 50. v. 4.* (F.) *Cicero in Catone Maiore.* (G.) *Geneſ. 3. per tot. & cap. 3. v. 16. & 17.* (H.) *Pagin. 20. 27. 28. editionis Ingolſtad. Germanicæ.* (I.) *De his* Culpæ Reliquijs, *&c. vide S. Thom. in 3. p. quæſt. 22. art. 3. in Corp.* (K.) *Apocalypſ. c. 16. v. 10.* (L.) *Pacianus epiſtolâ. 1. ad Sympr. S. Hieronym. in cap. 3. Iſaiæ. S. Ambroſi. ad Virg. lapſam, cap. 3. Tertullian. de Pœnitentia.* (M.) *Geneſ. 3. verſ. 11.* (N.) *Iacobi*

Digitized by Google

c. 3. v. 8. (O.) *Deuteronom. c. 32. verſ. 32. & ſeq.* (P.) *Ierem. 2. verſ. 19.* (Q.) *Deuteron. c. 32. verſ. 28.* (R.) *1. Regum. cap. 15. verſ. 32.*

Peſtiferorum Peccati Mortalis Fructuum,

EXEMPLUM TRAGICUM I.

PROTASIUS, ARIMÆ REGULUS.

Peccata Mortalia ***FRUCTUM*** *proferre; primò quidem, Lapſûs ab uno Mortifero, ad aliud atque aliud. Deinde, Diſpoſitionis ad* ***MORTEM TEMPORALEM****, à brachio Iuſtitiæ Sæcularis infligendam. Cum aliis quibusdam Fructuum noxiorum appendicibus.*

Dictum eodem 24. Februarij Die, ſeu Feſto S. Matthiæ.

X IN magna illa, totóque paſſim orbe celeberrimâ, *ſexaginta ſex regnorum Inſulâ* JAPONE, vixit ac floruit, parentum noſtrorum memoriâ, & vivendo pervenit, ad noſtrum uſque, quod nunc degimus, Sæculum, VIR, totâ Chriſtianitate pariter ac Gentilitate decantatiſſimus, qui Japonico nomine (*A.*) dictus eſt, *Arimanus Sciurinus Daibus*: eò, quòd locis illis ac ditionibus principaretur: *Filius* Regis Arimanorum, *Andreæ*, qui circa Chri-

ſti

Protaſius.

Digitized by Google

ſti annum milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum ſextum, ſacris baptiſmi aquis Eccleſiæ adſcriptus, non multò pòſt vitâ conceſſit. Huic ſucceſſit adoleſcens filius, *Daibus*, quem dixi, adhuc gentilis & idololatra: impulsúque, partim juventutis & impetûs ſui; partim Matris, propinquorum, ac Bonziorum (qui Japonum Sacrificuli ſunt) Chriſtianam Pietatem, quam Pater ejus Andreas, per divinam Gratiam, & Societatis Patres, in regnum ſuum introduxerat, (*B.*) evertit denuò; Cruces erectas, & oratoria Chriſtianorum, deſtrui juſſit; Patres, Evangelij præcones, ejecit; & ad novem millia Neophytorum, qui baptiſmum, ac Sacra noſtra, jam receperant, recantare compulit; Religione ſanâ, ſaltem exterioribus ſignis ac verbis, ejuratâ. Poſtea verò, Deo per *Vexationes intellectum* ei *dante*, (*C.*) inter medias bellorum ac Seditionum turbas, adversùm ſe inſurgentes, anno Chriſtiano milleſimo quingenteſimo octogeſimo, ardentiſſimè, miſſis aliquoties nuntijs, litteris, ac Legatis, Baptiſmum ijſdem à Patribus, quos exegerat priùs, expetivit: In Fide quoque ſe, unà cum Matre, Fratribus, Patruis, ac præcipuâ regni ſui nobilitate, per eoſdem inſtruendũ ſollicitè curavit. tandémque, omnibus, ex animo, perruptis amotíſque difficultatibus, ne quidem abſterritus *repentino* ante baptiſmum *deliquio*, graviſſimáque ægritudine, quam ei *Sathanas* ad præpediendum Sanctum ejus propoſitum immiſerat, in ipſo ad ſacrũ lavacrum acceſſu: nec deinde motus clientum ac ſubditorum ſuorum, ob idipſum, gravi ſeditione; nec denique ob id retractus, quòd aliter eum Patres ad *Regenerationem Chriſtianam* admittere conſtanter detrectarent, niſi is priùs *Fœminam* quandam, *electa forma*, ſibíque (ſed illegitimo

mo amore) dilectiſſimam eijceret; Conjugémque aliquam ex legibus & ritè duceret: His, inquam, omnibus, ingenti vi animi, perfractis convulsíſque obicibus, ſub ipſum *Quadrageſimæ* initium (*D.*) ſolemnitate maximâ, miróque gaudio, cum ſuis omnibus in Regia Arimanâ baptizatus eſt, inter læti ſſima Muſicorum carmina cantúſque, per manus *Patris Alexandri Valignani*, Viſitatoris Societatis Jesu, per Indiam ſparſæ. In Baptiſmo autem, (incertum, quâ cauſsâ delecto hoc nomine?) PROTASIVS eſt appellatus.

XI. Statim autem, exemplo ſuo, &, tam ſuiſmet, quàm *Patrum* fervidis cohortationibus, univerſam urbem ſuam regiam, ARIMAM (à qua regnum reliquum omne nominatur) Chriſtianam effecit. Illos quoque, quos annis ſuperioribus maximo numero à Religione abduxerat, reduxit: Idola paſſim omnia, & Idolorum aras, deſtruxit: Deorum Camis & Fotoques *Fana*, numero *Quadraginta*, funditus evertit; eorúmque in locum templa Chriſtianorum erexit. Et quoniam ei Divina Potentia ac Miſericordia, eâdem ſtatim tempeſtate, Regnum (paulò ante turbatiſſimum) pacavit, hoſtéſque Regis & defectores compeſcuit; ità, ut jam *Arimanum* omne Regnum, provincia *Tacacuana*, párſque magna, propinqui finibus illius, *Regni Figenſis*, eum *Dominum* atque *Regem* agnoſceret: quò is viciſſim ſe Deo Ter opt. max. gratum exhiberet, ejúſque Regnum (quantum in ſe eſſet) amplificaret, próque viribus per Japonas, & orbem univerſum, gloriam illius expandere[t]: primùm quidem, eâdem adhuc *Quadrageſimâ*, Feriâ Quintâ majoris Hebdomadæ, ſeu *die Cœnæ Domini*, cùm Venerabiliſſimum *Corporis dominici* Sacramentum circumferretur; Vmbel-

Protaſius.

Vmbellam, ſub qua Sacrificans ex more incedebat, ipſe manu ſuâ, univerſo aſpectante populo ſuo, prætulit ac ſuſtentavit: ut *Servum ſe Regis Angelorum*, coram ſubditis ſuis omnibus, proteſtaretur. Deinde verò, tempore haud adeò multo interlapſo, effecit ſuâ quà operâ monitiſque, quà auctoritate & exemplo; ut *ad Septuaginta Millia*, ætatis jam adultæ, ſuis è clientibus, Chriſto adjungerentur: neque ceſſavit unquam, donec jam penitùs Infidelis & Idololatra nullus, ſuis in terris, reperiretur.

XII. Poſt biennium autem, annò videlicet 1582. Octavo Januarij die, unà cum *Franciſco*, ſanctiſſimo Bungenſium Rege, & cum Omuræ religioſiſſimo Principe *Bartholomæo*, maximis ſumptuum impendijs, ac devotione ſingulari, Legatos miſit ac litteras regias, ad Sanctiſſimum D.N. *Gregorium Decimum tertium*, è Japonis & Orientis ultimi finibus Romam uſque, in teſtimonium obſequij erga *Chriſti* Regis in terris *Vicarium*, &, ad legitimum ſe filium Sanctæ Catholicæ, Apoſtolicæque Romanæ Eccleſiæ, profitendum. Alio item tempore Litteras alias ad Summum Pontificem, *Sixtum Quintum*, Gregorij Succeſſorem, dedit anno 1590. die Septembris viceſimo ſecundo: quarum in inſcriptione (ſeu Titulo) interiore, Se *REGEM Arima* profitetur: (*E.*) ſicut viciſſim & ipſe, *REX Arima* compellatus fuerat in Litteris Pontificijs Sixti Quinti, viceſimo ſexto Maij, anno 1585. ad *Protaſium* datis. (*F.*) Qui idem Summus Pontifex *Protaſium* honoravit, non fruſtillo modò Sanctæ, vivificæ, & genuinæ *Crucis*, auro artificioſè incluſo: ſed etiam, (quo modo Reges ſolent, à Sede Apoſtolica honorari) *Pileo regio*, & *Gladio*, regiè ornato, ei tranſmiſſis. Quæ memoravi, uti conſtaret;

Protaſius

Digitized by Google

ret; PROTASIVM hunc verè REGEM principiò, & *Fuiſſe*, & à ſe aliiſque ſic dictum, ſalutatum, *habitum*. Quòd autem Vitæ poſterioribus annis, *Dynaſta*. (*Q.*) aut *Regulus*, vel *Tonus*, appelletur (quod vocabulum idem Japonibus, quod nobis Marchio, aut Comes Principalis, ſonat,) ex eo accidit; quòd Japoniæ totius Imperator ſeu Monarches, *Taicoſama*, ex odio Chriſtianæ Religionis, *Protaſio* partem ditionum non exiguam, ac præſertim Figenſis regni portionem inſignem, per violentiam ac tyrannidem, ademerit: arctiùs impoſterum, inferioríque ſub titulo, regnare juſſo.

XIII. Sed, ut ad ejus glorioſa geſta virtutéſque redeam: *Protaſius* & belli laude inſignis, adversùs tyrannum quendam (*Riosógum* nomine) non ſuum tantummodo, ſed Chriſtiani nominis univerſi juratiſſimum hoſtem, anno 1584., (*H.*) Aprilis die viceſimo quarto, ſeu, pridie Divi Marci, victoriam nobiliſſimam, divinitus adjutus, obtinuit: *Riosógum* prælio occidit; & caput illius, haſtæ infixum, publicè ſpectandũ omnibus propoſuit: Chriſtianitatem Japonicam (maximéq; partium illarum) quam *Riosógus* ubique extinctum ibat, ſervavit: & hæc, aliquot quidem, in corpore ſuo, vulneribus exceptis, nec tamen ſuorum pluribus, quàm viginti, deſideratis: cùm hoſtium ingens numerus cecidiſſet. In *Coraia* deinde Inſula (quæ Japoni Siníſque longis extenſa ſpatijs interjacet) adversùs Idololatras, annis aliquot fortiter fecit. In poſtremo verò Japoniæ totius tumultu, annis, milleſimo, quingenteſimo nonageſimo nono, & ſequenti *Seculari*, poſt *Taicoſamæ* mortem, feliciter expeditione ſuſceptâ, Chriſtiano cuidam Principi, *Simoni Quamboiendóne*, ſe conjunxit: & *Daiſusámam*, Taicoſamæ ſucceſſorem,

Protaſium

ceſſorem, pro virili ſuâ ad Imperium, & Japonis Monarchiam, promovit.

XIV. Sed tametſi bellicis geſtis glorioſus; clarior multò *Protaſius* hic fuit *Religionis ſtudio*, ejuſdémque retinendæ *Conſtantiâ*. Et *Religionis* quidem *ſtudium*, demonſtravit; quòd illius puritatem eximiam, ſanctóſque mores, in ſubditis ſuis omnibus utriuſque ſexûs, ſummâ ſemper animi contentione, procurârit: ad Patris quoque Rectoris Collegij Arimenſis, adhortationem & conſilia, Injuſtitiæ genus omne, contra mancipia; Divinationes item, & incantamenta, Concubinarúmque & adulteriorum fœditatem, regno ſuo univerſo ſuſtulerit. Quòd præterea ipſe quoque *Protaſius*, pro ſuâ parte cæteris omnibus, virtutum ſuarum Operúmque laudatiſſimorum mirificis exemplis, præluxerit: quando præſertim, erectâ, in urbe ſuâ regiâ, Beatiſſimæ Virginis Mariæ Sodalitate, Primus omnium inſcribi ipſe voluit: illius Proceſſiones publicas devotè ſemper per urbem comitatus eſt: Concionibus ſacris ſedulitate memorabili interfuit: Confeſſionis & Evchariſtiæ myſteria, frequentiſſimè, coram omni ſubditorum ſuorum frequentia, in templo publico, comite, & conſorte Pietatis hujus, Conjuge, uſurpavit: Populo ſuo æquum ſe mitémque, & miſericordem, præbuit. Famis inſuper publicæ quodã tempore, ducentos Oryzæ ſaccos pauperibus gratìs ac dono diſtribuit. Ad omnia quoque Pietatis exercitia Vxorem, tam primam, quàm, quæ huic ſucceſſit, exemplo ſuo monitíſque induxit. Primâ enim vivis exemptâ (cui Luciæ nomen fuit, principis originis fœminæ) Matre pauperum: (*l.*) anno Chriſti 1599. conjugem duxit aliam, è metropoli totius Japoniæ *Meaco* oriundam, annorum

Protaſius,

rum haud ampliùs viginti, viduam primariam, ſed adhuc Paganam, ſeu Idolis addictam. Cum hac tamen *Protaſius* non priùs matrimonium iniit, quàm ea in Fide ſacríſque Chriſtianis, per dies octo ſolidos diligentiſſimè inſtructa, ex animo tandem Chriſtum ac baptiſmum ſuſcepit; *Iuſta* nomen, in ſacro lavacro, ſortita. Quæ ipſa deinceps (ſecus, ac quædam, ad ſpeciem, & opulentum adipiſcendum *Coniugium, Converſa*, in more poſitum habent) nequaquam frigidè languidéve, ſed ardenter ſemper, ac, nomini ſuo convenientiſſimè, hoc eſt, *Iuſtè* vixit: in orationibus aſſiduis, in frequentatione ſanctiſſimorum Altaris ac Pœnitentiæ Sacramentorum, in Verbi divini Concionúmque aſſiduâ fame ac deſiderio. Tam humilis inſuper, & ſui contemptui dedita: ut, cùm *Verni Ieiunij* tempore Divinis omnibus intereſſet, ſummo devotionis affectu, manè Veſperíque: tamen, quamquam *Matrona Princeps, & Arima Domina*, poſtremo ſemper loco (*tanquam Neophytarum* illius regni *ultima*) poſt alios aliáſque omnes in templo ſtaret, aut ingenicularetur. In gravioribus autem Eccleſiæ Japonicæ tempeſtatibus, domi ipſa ſuæ, cum gynæceo ſuo copioſo, *Quadraginta horarum precationem*, in ſacello Palatij ſui, inſtituens: *Horam* orationis omnium *Primam* ipſa ſibi deligebat; quâ (quò tantò promptiùs cæteræ ſequerentur omnes) in genua ſe proſternebat, MATRONA (ſicut eam Trigautius *in Auctario Annuarum* ſuarum appellat) SANCTISSIMA. Atque hæc quidem, & alia innumera, Religionis, ejúſque ſtudij, exempla erant, Virtutum, Operúmque bonorum, Lucidiſſima; in *Protaſio*, ejúſque Vitæ Sociâ.

XV. Verùm, in *Religionis* retinendæ *Conſtantia*; Rex

Protaſius.

Rex idem, ſeu Princeps, multis adhuc partibus fuit admirabilior, nullíſque territus aliorum à fide defectionibus, aut exemplis pravis, Invicto permanſit Inconcuſsóque animo, memoriâ ob id ſempiternâ digniſſimus. Ecce namque! circa Salutis annum 1607. aut 1608. (ſi non aliquantillò antè) à Religione Chriſtiana, viciniſſimus *Protaſio* omnium totius Japoniæ Principum, ac fratruelis, affinitatéque ei conjunctus, *Omura-Scim-Paciro Nobu-Ache*, Tonus ſeu Regulus *Omurandónus*, *Bartholomæi* illius Omurẽſium Religioſiſſimi Principis *filius* [*K.*] turpiſſimè deſcivit: abjectóque, & Chriſti cultu, & omni, quod Chriſtianitatem oleret; pro veteri ſua, quam puerulus in baptiſmo acceperat, nomenclaturâ, pagano deinceps vocabulo *Tangodónus* & dici voluit, & dictus eſt. [*L.*] Quódque gravius erat: haud ipſe tantùm ad Simulacra *transfugit*; ſed in eandem impietatem ſubditos quoq; ſuos, quoſcunque ullo modo potuit, pertraxit; ac nominatim *Filium* ſuum *Mimbudonum* [*M.*]: Sororibus tamen Apoſtatæ, *Marinâ* & *Maxentiâ*, in Chriſtianiſmo fortiſſimè perſiſtentibus. Quin & haud ità multùm ante annos eos, urbis propinquæ Nangaſaquianæ ſupremus Gubernator, *Tarrazavandónus*, poſt perceptum jam baptiſmum; [*N.*] fœdè poſtmodum ſacrilegéque non reſilierat tantùm: ſed omni crudelitatis & *inclementiæ* genere Societatis & aliarum religionum Patres, omnéque Chriſtianum nomen, exagitabat. [*O.*] Non ità *Protaſius*: qui tam deteſtandis exemplis non modò nihil eſt commotus ad transfugium, ſed tantò ipſe firmior perſtitit: & in monimentum, ſignúmque certiſſimum *Conſtantiæ* ſuæ, memorabilia multa tum *dixit*, tum *fecit*.

Protaſius.

Digitized by Google

XVI. Et inter *Dicta* quidem illius, celebre fuit iſtud; *Magno ſe Dei beneficio ac favore, cumulatum iri: Si pro Chriſti Amore atque gloriâ, & Status aliquando Sui, & Fortunarum omnium, atque adeò Conjugis quoque Iuſta, ac Liberorum ſuorum, Iacturam eſſet ſubiturus. (P.)* Quibus ipſe in verbis omnibus ac ſingulis, certo quodam modo, ſibi *vates* fuit; ſicut audiemus. Neque verò *Fortiùs DIXIT* tunc, quàm & eodem tempore, & annis alijs ſuperioribus, inferioribúſque, *OPERE* expreſſit. Cùm enim, circùm eadem illa tempora, non ſemel *Protaſio*, per Proceres ſibi addictiores, *Daifuſama* (ſeu *Xogun*, hodierni Japoniæ Imperatoris avus) verbis gravibus ſuaſiſſet (quod ipſum, & *Rex Saxuma* per ſuos jam olim fecerat, anno Chriſti 1584.) ut, in ſui gratiam, penitùs Religioni Chriſtianæ nuntium remitteret, & ad Deorum Japonicorum Sacra reverteretur: *indignúmque*, inter cætera, diceret; *Tanto natalium ſplendore Virum Servili Externa Barbaraq; legis* (hoc eſt, Evangelij) *Iugo collum ſubmittere: PROTASIVS* tamen *Immobilem* ſeſe *Petram* ſemper exhibuit, & fluctuum Imperatoriorum aſſultibus ſuperiorem, in retinendâ tutandáque Chriſti fide. Coëgítque *Xogúnum* hunc, (ſeu, *Daifusámam*) cùm is videret, nihil omni ſe molimine ſuo profeciſſe, tandem aliquando vel invitum cedere; uſque adeò, ut diceret; *Se illius unius cauſsâ (PROTASII* puta) *Patribus adhuc & Religioni Chriſtianorum parcere; quam tamen utique nullo modo approbaret. (Q.)*

XVII. Cùm autem idem hic Imperator nihiloſecius quibuſdam in Japoniæ Regnis initium jam faceret perſequendorum *Fidelium*; & omnia Religionis *Exercitia publica*, ſub exilij mortíſque pœna.
(Nobi-

Digitized by Google

(Nobilitati potiſſimùm) interdiceret: *Protaſius*, tametſi de conſilio Religioſorum quorundam eo anno(qui fuit Salutis milleſimus ſexcenteſimus tertius) jam conſenſerat, moderatiùs celebrandam eſſe Sacri *Paſchatis* feſtam lætitiam, ad cavendam Tyranni graviorem, quam metuebant, iracundiam, & ad declinandum Chriſtianitatis extinguendæ periculum: tamen, cùm *Sabbati Sancti Maioris Hebdomadæ* Dies illuxiſſet, ut primùm audivit in officio Sacroſanctæ Miſſæ decantari, *Paſchale* ſolitum illud ALLELVIA: interno mentis jubilo ſubſiliens, præcepit, ænea cuncta mœnium & arcis *Arimæ* tormenta bellica exonerari: *In Deſpectum* (velut ipſe loquebatur) *Idolorum Omnium*, *ſine ullo metu Rumorum, aut reboatuum, qui Daiſuſamæ, aulaq́; cætera imperatoria, poſſent aures percellere.* (*R.*) Sub eádem quoque tempora, cùm *Xogúni-Senioris* Imperij primis initijs, Templa Chriſtiana deijci paſſim & æquari ſolo juſſa eſſent; è diverſo ipſe Templum *Arimæ* ſplendidiſſimum, ſuis impenſis, exſtruxit, ad pedem montis, cuj arx Palatiúmve regium *Protaſii* ſuperſtructum erat: ídque ſub Titulo *Beatiſſimæ Virginis ac Matris Dei*, *Mariæ*: feſtúmque *Dedicationis* ejus, per Japoniæ Epiſcopum, innumerabili confluente nobilium ac populorum multitudine, Decimo Octavo Decembris die, hoc eſt, in ipſis Adventûs Dominici ſolemnibus, celebravit, tantâ lætitiâ rituúmque ſacrorum majeſtate, quanta priùs in Japonia viſa nunquam fuerat. (*S.*) Nec eo contentus: alia Templa *Octodecim* in *Arimenſi* Regno, ut exſtruerentur, operâ ſuâ conſilióque, ſub illud ipſum tempus, effecit.

XVIII. Quin etiam, (quò clarior ſit illius, in retinenda, tutandáque Religione, Conſtantia)

Digitized by Google

cùm ante annos illos, Tyrannico *Faxibæ Taicosáma* imperio, *Patres* omnes ac Fratres *Societatis I E S V*, qui totâ priùs Japoniâ ſparſi, diſſeminârant Evangelium, unâ cum *Dógicis* (hoc eſt, Catechiſtis) & Seminariorum Alumnis, expulſi eſſent, circa Salutis annum 1588: [*T.*] Rex, ſeu Princeps, *Protaſius*, eos excedere Japone nullo modo paſſus eſt: ſed potiùs, maximis ſuis ſumptibus, eos *Omnes* ſuummet in Regnum, maximéque *Arimam*, alendos recepit: *Patres*, inquam, *Fratréſque* Societatis numero *Septuaginta tres*, ac Seminariorum Alumnos *totidem*; hoc eſt, *Centum* univerſim & *Quadraginta Sex*. Juſsítque eos, *Publicè, Sine omni cuiuſquam formidine, promulgare Chriſtum*, & Legem ejus: *receptans eos ſub Tutelæ ſuæ tegumentum*, ſanctiſſiméque pollicitus; *Se eos omnes ac ſingulos, ad ultimam uſque* (ſic loquebatur) *Sanguinis ſui guttam, defenſurum; ſiquis uſpiam eis obſiſtere, aut in re etiam minimâ moleſtiam creare niteretur.* Idque fideliſſimè ſemper præſtitit; non interim abſque manifeſto vitæ, ſuæ ſuorúmque, & regni ditionúmque ſuarum amittendarum, periculo: niſi Deus, Sperantem in ſe, Suóſque Famulos Protegentem, viciſſim protexiſſet. Cujus in *Protaſium* Tutela tunc maximè eluxit, quando Salutis anno milleſimo Sexcenteſimo Primo, in ipſa *Daifusáma* Imperatoris aula, Tyranno illi, per Dynaſtas quoſdam internuntios, audacter ſignificari juſſit; *Paratiſſimum eſſe ſe, vitam potiùs ſuam ſub ſicam* & mucronem dare; *quàm Chriſtianiſmi deſtructionem ſub oculos: Chriſtianaq; Religionis retentionem potiorem ſibi, quàm Iaponiæ totius Monarchiam, futuram.* [*V.*] Quibus tamen, quantumvis magnanimis, denuntiatis ſibi verbis, *Tyrannus* tunc acquievit: Deo ſævitiem ejus inhibente.

XIX. Ecce,

Protaſius.

XIX. Ecce, quantus Vir, & Rex, ac Princeps, fuerit hic PROTASIVS! Quamdiu enim jam loquor Charitati veſtræ, de Chriſtianis illius, ac Principe digniſſimis, Virtutibus? cùm interim tamen innumera ſuperforent de eo dicenda; ſi modò res ac tempus permitterent? Quid, oro, quid defuit huic *Protaſio*, in Fide ac Religione? quid in fervore Religionis, aut in Perſeverantia fervoris illius, per annos Regni, ſeu Principatûs illius, propemodũ Triginta? Quid in Oratione, Devotione, Sacramentorum frequentatione, Charitate præterea in Deum ac Proximum? quid in Miſericordia erga Pauperes, famelicos, ejectos? Quid in Converſionis ardore tot millium animarum? Quid in Fortitudine quoque, non Militari duntaxat, ſed multò magis Chriſtianâ, & Religiosâ? Nónne, de PROTASIO, tanquam de altero novóque DAVIDE, dici potuiſſe videbatur; *Invéni PROTASIVM, Andreæ filium, Virum iuxta Cor meum: qui faciet univerſa, quæ præcepi?* (X.) Quem mihi nunc dabis facilè Statûs illius, in Europa universâ; qui Unus & unicus, tamdiu, tam multa, tam gravia, tam egregia, pertulerit, fecerit, perfecerit, continuârit, in tot annos, pro Deo, pro Fide, pro Eccleſia? In Summâ. VIR MAGNVS ET EXCELSVS, DON-PROTASIVS! exclamat de eo *Franciſcus Paſius*, Japonicæ Societati Præpoſitus Provincialis. (Y.) Hæ virtutes hucuſque, hæc geſta Vitáque laudatiſſima PROTASII.

XX. Sed, ô mortalium conditionem lamentabilem! ô, Infirmitatis humanæ lachrymabilem lubricitatem! O, terribile, cunctíſque metuendum, (quia veriſſimum) Divi Pauli tonitru; *Qui ſe exiſtimat ſtare; videat, ne cadat!* (Z.) Et rurſus alibi;

Protaſius.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

(*AA.*) *Tu FIDE Stas* : *Noli altùm ſapere* ; *ſed TIME !* *Niſi enim in Timore Domini* (quod Divinus Spiritus admonet) *inſtanter te tenueris* ; (*BB.*) ſed, Timore Divino proculcato, in *Peccatum Mortiferum* ſciens, videns, volens, te præcipitem egeris; *citò ſubvertetur Domus* animæ tuæ: *morte morieris*; &, quemadmodum Salomoni filio David denuntiavit; *Si Dereliqueris eum* (Dominum) *projiciet te in ſempiternum.* (CC.) Poſt quæ *Tonitrua* tot, Horribile quoque *Fulmen* ſequitur, in Regem, qui non fuit potentior tunc & major, Rege Arimenſi Protaſio; *Vivo ego, dicit Dominus* : *Quia, ſi fuerit Iechonias Annulus in manu dextera mea, inde evellam eum* : *& dabo te in manu quærentium animam tuam.* (DD.) Quam Sententiam, tam formidandam, non Reges modò Principéſque, ſed plebeji quoque, & noſtrum unuſquiſque (dilectiſſimi) quotquot hîc hodie congregamur, ſæpe ſerióque perpendamus; quia neſcimus, proh dolor! *Quid adhuc in unoquoque noſtrum Exempli Tragici Mundus ſit aſpecturus* : niſi, ſollertiſſimè momentis omnibus Vigilantes, pro animæ noſtræ cuſtodiâ, à *Lapſu* nobis *Mortifero* caveamus: &, *cum Metu ac Tremore* (quod Divinus nos Paulus monet) *Salutem noſtram operemur.* (EE.)

XXI. *Bene* Protaſius *currebat*, à converſione ſua, ad annum regni Principatúſque ſui prope Trigeſimum. *Sed, cùm iam Senex factus eſſet, depravatum eſt Cor eius*, non quidem, *Per mulieres*, (FF.) ſicut Cor Regis Salomonis, ſed, *Per Improbas Cupiditates Honorum, ac Potentiæ celſioris* : *nec erat Cor eius Perfectum cum Domino Deo ſuo*: ſed lapſus eſt paulatim in *Socordiam* non perfunctoriam *Salutis ſuæ*; Poſt hanc deinceps in aliquot *Delicta Lethalia.* Neſcio

Digitized by Google

Neſcio autem, an non initium fuerit Negligentiæ illius, circa Conſcientiæ curam; Quòd *in Senectute* demum *ſuâ*, Nomen ſuum, tam antiquum, PROTASIUM, inquam (quod Nomen eſt Glorioſi Martyris Mediolanenſis, fratris Divi Gervaſii) penitùs depoſuerit: ac deinceps appellationem aſciverit JOANNIS: quod nomen in Japonia (ſicut in Europa) jam ab initio Eccleſiæ, plurimi tum gerere ipſi, tum filiis ſuis imponere, gaudebant; ob Cauſſam, à Cæſare Baronio allatam, Tomo Annalium Eccleſiaſticorum ſecundo, in Annum Chriſti Centeſimum nonum, numero quinquageſimo ſexto, ex Dionyſio Alexandrino. Quod quidem Nomen eſt inſigne, divinitúſque juſſum, & dictatum, atque à Gabriele Archangelo allatum Lucæ 1. verſ. 13. Sonat enim idem, quod DEI-GRATIA, vel (ut alii, in Sixtina bibliorum editione, interpretati ſunt) *Gratioſus*, *Pius*, *Miſericors*: In qua *Gratia*, taliúmque appellationum *dignitate*, utinam, & eſſent omnes, qui Nomen hoc, in utroque ſexu, gerunt: & in ea *Protaſius Arimánus* permanſiſſet! Sed vehementer ego vereor, ne ex Superſtitione potiùs, & falsâ Præſumptione, Princeps hic, JOANNES deinceps, quàm PROTASIVS, appellari maluerit. Reperio enim *in Annuis Iaponicis Ioannis Roderici Girómi* (GG.), Perſuaſionem quandam, admodum noxiam, in illa ipſa urbe *Arimenſi*, in qua Protaſius regiam habebat ſuam, invaluiſſe vulgò; ut, *tanquam Evangelium eis & Dei Verbum*, inſitum animis eſſet, (incertum, quonam auctore nugaci, aut quo aſſertionis fundamento & origine?) *Neminem, IOANNIS inſignitum nomine, damnari poſſe*: vel exoticum ſaltem, miróque mirius futurum, ſi is ad Gehennam iret. Id ſi

Protaſius.

tam verum eſſet, quàm verè certóque Diabolica fraus eſt ac Fabula; feliciter admodum ac bene, cum *Ioanne Huſſo*, *Ioanne Brentio*, *Ioanne Oecolampadio*, *Ioanne Calvino*, *Hæreſiarchis*, innumeríſque aliis, & olim actum, & nunc, eſſet. Sed nimirum, *Nomen nudum*, tametſi vel *Salvator* quis appellaretur, *non Salvat*. *Fides vera viváque, quæ per Charitatem operatur*, (*HH.*) &, his comitantibus *Gratia ac Miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti*, *ſalvos facit*, fecit ſemper, & in poſterum faciet. *Si vis ad vitam ingredi, Serva* (non, Superſtitionem in Nomine, ſed) *Mandata* Dei. (*II.*) Sed nos quidem, quas mutandi nominis cauſſas *Protaſius* habuerit, ut, abjecta priore, *Ioannis* appellationem aſſumeret; pro certo compertóque neſcimus. Id ſolum legimus; Eum ex eo tempore *Conſcientiæ* ſuæ minorem interdum geſſiſſe curam; haud ſecus, ac ſi in *Solo* ſuo *NOMINE* præſideret, *Se Damnari non poſſe*. Nos interim nihiloſecius eum PROTASIVM nominare, pergemus: ne Charitatis Veſtræ intelligentiam ac docilitatem, appellationum variatione, interturbemus. Hic igitur, ab eo maximè tempore, in graviora paulatim, & manifeſtiſſima, offenſioníſque publicæ plena, *Peccata* ſe præcipitem jecit.

XXII. Primò namque (quod ſtudioſè ſibi Charitas veſtra imprimat, ad Peccati magnitudinem æſtimandam) anni milleſimi Sexcenteſimi Noni principio, circà ipſum *Dierum Natalitiorum* finem, cùm è portu Sinarum & urbe *Amacáo* ad Japonis Inſulam appulſa eſſet Oneraria Luſitanorum navis quædam: mandavit Japonum Imperator *Daifusáma* (ſeu *Xogun Senior*) ut *Protaſius*, Arimæ Regulus, illius Onerariæ Præfectum, (*Andream Peſoam* nomi-

Protaſius.

nomine) in Portu ſtatim Nangaſaquenſi interciperet: & ad ſe *Surungam* (urbem Xogúni regiam) mitteret puniendum: Negotiatores verò Luſitanos omnes trucidaret: Onerariam autem ipſam (in qua annonæ victúſque ſubſidia erant Religioſorum, per univerſam Japoniam in Verbo Dei diſſeminando laborantium, biennium jam integrum, & ampliùs exſpectata) diriperet: Epiſcopum Japoniæ, *Ludovicum de Cerqueira*, Patréſque ac Fratres omnes Societatis JESU, totâ Japone exterminaret. Tam crudelis ac præcipitis mandati cauſſa erat; quia, anno proximè ſuperiore (qui fuit Salutis milleſimus Sexcenteſimus Octavus) in Urbe Sinarum *Amacáo* Japones aliquot rixoſi tumultuantéſque, cùm admoniti de quiete pacéque conquieſcere detrectarent; partim in tumultu ſtatim ipſo, mutua cæde compreſſi domitíque fuerant: partim legitimâ *Iuris & Fori viâ*, Duces & primipili Seditionis, ferro percuſſi, pœnas publicè dederant: Prætore Luſitano cum ſuis, ſtudio tranquillitatis, operam ſuam apud Sinarum magiſtratum interponentibus; ut *Iuſtitia* ſatisfieret. Id Imperatori poſtea Japoniæ cùm malevolè, perperámque, relatum fuiſſet, ab iis, qui, è Seditionis illius ac rixæ Sociis fugâ dilapſi, in Japonem reverſi fuerant: Popularibus ille ſuis plus æquo credulus, nec partis alterius cauſſam unquam ad aures admittens, multóque minùs examinans; impotenter nimis; ac furibundè, tulit. Ideóque, ad Omnium pariter Luſitanorum interfectionem & interitum, Protaſio ſtimulos ac mandata (clanculum tamen ei delatâ Commiſſione) dedit. Quod notent in *Xogúno*, ſollicitéque caveant, quicunque Jus dicunt: ad *Davidis* reſpicientes monitum: cujus vox eſt; *Et nunc, Reges, Intelligite!*

Protaſius.

Digitized by Google

Erudimini, qui Iudicatis terram! Pſalmo ſecundo, verſu X. Quo pacto enim, qui nec Cauſſam *Intelligit*, nec *Erudiri* de *Iure Factóque* ſatagit, ſine vitio, ſceleréque, & Injuſtitiâ, judicabit?

XXIII. At *Protaſius*, neque *Conſcientiâ* ſuâ, neque *Theologis* (quorum ei copia non deerat Arimæ) interrogatis, ſuper tam pleno diſcriminis & Iniquitatis negotio (quæ tamen Interrogatio neceſſaria ſemper eſt, antequam aleam aliquam periculoſam aggrediaris: niſi, *Stultitiâ* planè *Mortiferâ*, Te pariter ac rem præcipitare velis; in arduis præſertim & inexplicatis operibus ſuſcipiendis) nullâ monentis *Eccleſiaſtici* ratione habitâ; *Fili, ſine Conſilio nihil facias; & poſt factum non pœnitebit* [KK.]; continuò conſenſum Imperatori ac Tyranno præbet, Studio, approbandi ſe, placendíque, Supremo ſuo in terris Monarchæ: ſicut in more poſitum habent, *Favorum Principalium Venatores*; quibus *illorum Omnia Iuſſa factáque, etiam Iniqua, ſunt æqua*: & VERBVM PRINCIPIS, VERBVM DEI. Continet apud ſe rem omnem, *Arcani Regij* pſeudopolitico *Silentio*. Proficiſcitur Nangaſaquium, ad Portum illum maritimum, ad quem ſtabat Oneraria Luſitana; quæ ſe mercibus ſuis ac vecturis nondum etiam exonerârat. Piſcatur illic egreſſum Navarchi *Andreæ*: qui tamen, quòd rem alicunde jam odoratus erat, in navi ſua, & alto, ſe continet; neque ſe comprehendendum *Protaſio* committit. *PROTASIVS* igitur manum ingentem, ac naves quàm plurimas, illico comparat. in his, *pluſquam mille* fortiſſimorum militum, claſſis in modum ac faciem, diſponit; contra Luſitanos haud multò plures *Quinquaginta* (multi enim in litus jam, alius aliò, ſua ad negotia, exſcenderant:)

Protaſius.

derant:) ac, poſt plurima in caſſum tentata, in ipſo deniquè Feſti Sanctiſſimi *Epiphaniæ*, ſeu *Regum Trium*, pervigilio, tam validè premit & urget Onerariam Luſitanam: ut hæc, igne tandem concepto, (qui in Ollam quandam Igniariam inciderat, ab hoſtibus injectus) ardentibus undique puppe, prorâ, alveóque navis, ad deſperata conſilia Præfectum *Pesóam*, redegerit. Hic enim, Chriſti Crucifixi complexus Statuam, & gratias agens, *Quòd in cauſſa, ex parte ſua tam bonâ probabilique, ſe Deus Optimus ad Lethi tale genus reſervâſſet*: flammam Cellæ tormentarii pulveris applicari juſſit. Quo facto, Navis Oneraria continuò, unóque momento, diſrupta, ſimul incendio, ſimul fluctibus, interiit. In ea pariter, Luſitani omnes (præter novem ſolos, qui, malè mulctato corpore, vix enatârunt) Sacerdóſque præterea Ordinis Auguſtiniani unus: Alimenta inſuper ſubſidiáque Patrum ac Fratrum, Japonicæ Chriſti Vineæ colonorum: & univerſim in mercibus, A V R I, (ſicut referebant, qui evaſerant) M I L L I O. Factúmque eſt, uti neque Luſitanis in commodum ullum cederent facultates illæ, vel iis, ad quos ſpectabant: neque *Protaſio*, & Imperatori Japonum; diſpendio utrinque irreparabili: nihílque adeò, ex univerſa Vaſtatione illa remaneret, niſi *Peccatum Mortale* multiplex *Protaſio*, ac Peccati *Pœnarum Reatus*: dum is *ſibi theſaurizavit theſaurum in die Iræ, & revelationis iuſti Iudicii Dei*. [*LL.*]

XXIV. *Peccatum* (inquam) *Mortale* grande, ac *Multiplex*. Peccatum *Iniuſtiſſimæ cædis* multorum immò Omnium, Innocentium: Peccatum direptorum alimentorum & annonæ neceſſariæ, tot inſontium *Religioſorum* & *Alumnorum* egentium (qui omnes

Protaſius.

omnes deinde, ob inopiam, dimitti ſunt coacti) quã *Protaſius* annonam, & pluſquam biennio jam exſpectatam, & tunc advectam tandem eſſe, probè noverat. Peccatum ingentis *Scandali*, quod Japoniæ Chriſtianæ toti præbuit, non ſine bonorum utriuſque ſexûs mœrore, nec ſine *Spiritûs ſancti contriſtatione*; quòd Chriſtianus Princeps Chriſtianos (& quidem, *in Odium Religionis, contemptúmque Dei* Chriſtianorum, quantum erat ex parte mentéque tam nefariam expugnationem imperantis) Chriſtianos, inquam, Optimos Luſitanos, Fidei veræ importatores, *Catholiciſſimique* tunc *Regis* ſubditos, tam hoſtiliter aggreſſus eſſet, ac delêſſet. [*MM.*] Tanquam verò non alii plurimi, in regnis Japoniæ *Sexaginta ſex*, Pagani ſaltem Principes, ſuperfuiſſent, quibus committi relinquíque laniena tam atrox potuiſſet! Peccatum denique; quòd, re totâ per Prudentiæ lumen minimè diſcuſsá & examinatâ, *Peccati Mortalis* ſeſe *Periculo* luculentiſſimo *Protaſius* commiſiſſet: cùm, ſi is Prudentes interrogâſſet, facilem hi Principi modum effugiendæ iſtius tam crudelis & odioſæ exſecutionis ſuggeſſiſſent: dictando videlicet ei, conſulendóve, ut vel excuſationibus idoneis, & ingenioſis, *Daifuſama* (ſeu *Xogúno*) ſeſe, tanquam ad hoc negotii genus minùs aptum, purgaret: aut, ut Præfectum Onerariæ Luſitanicæ quàm occultiſſimè, *Chriſtianæ Charitatis* ac *legis* ordine, præmoneret, ad tempeſtivè ſe, ſuos, ac navim ſuam, in tuto per fugam collocandum. id, quod ſanè Præfectus *Peſóa* feciſſet: ac facere poſtea tentavit, ante conflictum, Pacis cauſsâ, ſed ſerò; quia venti regreſſum aut ad Sinas, aut in Philippinas, impediebant. [*NN.*]

XXV. Et ſanè, ſæpe quis furioſi magiſtratûs alicujus

Digitized by Google

cujus, aut Principis, aut Heri, præcipitem; tyrannicam, & impiam juſſionem mitigare, vel eludere, per dexteritatem ſuaviter, ac prudenti diſcretione, poſſet; ſi in ejuſmodi mandatorum Exſecutore, Officiali, miniſtróve, vel Scintilla Chriſtianæ Charitatis ac dulcedinis eſſet, aut omnino apud quemvis noſtrum, in Corde noſtro: Rés que tota longè meliùs feliciúſque ex utraque parte componeretur, etiam cum jubentis tandem approbatione; poſtquam apud eum Iræ primus impetus conſediſſet. Videret enim ille, detumeſcente denique furore; verum omnino eſſe priſcum illud, *Omnia priùs experiri Verbis, quàm Armis, Sapientem decere.* Sed nos videlicet (ô miſeriam!) nos ardeliones ſumus, & favorum herilium captatores; aſſeclæ laudis, & affectatores honorum; *placere* cupientes *Homini,* quibuſcunque modis, etiam *per deſpectum Dei*: palpones, Gnathones, approbatores omnis & æqui & Iniqui, *Gaudentes ſuper Iniquitate*, [OO.] exultantes alienâ ſuper calamitate; *quibus* & *bene eſt, cùm aliis peſſimè*: qui faces irarum & furoris quatimus, exagitamus, augemus; ſæpiſſimè nimirum, novis additis ſuſurrorum flabris accuſationibúſque, furentem Dominum, aut magiſtratum, aut utcunque aliter eis præpoſitum, graviùs incitantes adversùs reum: quem, ſi quid Chriſtianæ venæ vel cordis haberemus, molli potiùs verbo demitigatum oportuit. *Hi* videlicet *Semen ſunt*, non Abelis, ſed *Caini, qui ex maligno erat, & occîdit fratrem ſuum*, [*PP.*] id, quod & nos facimus in cauſſa tali, ſi non ferro *fuſtéve*; certè, nefariâ Linguâ!

XXVI. Ponamus tamen ac demus; Talibus hiſce Dexteritatis piæ cuniculis, non potuiſſe *Protaſium* ullo modo uti, ad ſubducendum ſeſe tam injuſto,

juſto, támque ſanguinario barbari Monarchæ mandato: agè! audacter ac generosè (ſicut ſæpius antehac adversùs eundem fecerat) Imperatori *Daifuſáma* reſpondiſſet, in hunc aut ſimilem modum; quo Achabus olim Benadádo Syriæ regi reſpondit. 4. reg. c. 29. v. 9. *Omnia, quæ vis & præcipis, Domine, quæ quidem contra Conſcientiam meam non pugnaverint, faciam: Hanc tantummodo rem facere non poſſum; neque faciam*, Imperator. *Oportet enim Obedire Deo magis, quàm Hominibus.* [ℒ.ℒ.] Et hoc, quod dixi nunc, obſervent, ac præſtent, *Omnes* Summatum, minorúmque Dominorum, miniſtri, famuli ac famulæ: ut videlicet, in imperatis, cum Dei manifeſta contumelia conjunctis, eſſe malint *Servi Servæq́ Dei*, quàm Dominorum ſuorum aut herarum mancipia: nec ullo modo obediant; niſi *Peccato Mortali Alieno* communicare velint & ipſi. Cujus luci'diſſimum habemus exemplum in Sancto & immaculato *Ioſepho*, Jacobi Patriarchæ filio; qui biennem Carceris ſqualorem ſubire maluit, quàm Heræ ſuæ, Putipharis uxori, in re nefaria præbere conſenſum & obſequium. In *Miniſtris* quoque *Saulis* elucet idem; quibus rex imperabat cædem Sacerdotum; *qui* tamen *Noluerunt extendere* manus ſuas in Sacerdotes Domini. Erat enim *Peccatum Mortale Manifeſtiſſimum*, id, quod tunc jubebatur: cui non modò Sæcularis ſive Laicus quicumque, ſed nec is, qui *Obedientiam* vovit ac juravit, obtemperare tenetur, aut poteſt: ut docet Divus Thomas Secundâ Secundæ, quæſtione ſexageſimâ nonâ, articulo tertio, ad primum.

XXVII. Sed, ad *Protaſium* ut revertamur: demeruit ille ſibi ſceleſto hoc, quod deſcripſimus, obſequio, miris modis *Daifuſámam*, Monarcham ſuũ.

Protaſius.

Digitized by Google

Videns ergo Regulus hic, *quòd placeret* Idololatris; *appoſuit*, *ut apprehenderet & alias*, ſeſe efferendi apud eos, occaſiones: quas ſanè Diabolus ei citò promptéque ſub manum dedit: ut inſuper in aliud quoddam fœdius abſurdiúſque flagitium laberetur: permittente illud Juſtiſſimo Numine, *in Præcedentis peccati Pœnam*, quod adhuc in eam diem inexpiatum erat. Id tale fuit. Erat *Protaſio* (præter alios ex ſecunda conjuge, *Iuſta* illâ, liberos) Filius, ex *Lucia*, uxore prima, *Michaël* nomine: quem & ipſum poſtea, *Ioannis* adoptâſſe nomen, prænoménve, teſtimonio ſunt *Patris Hieronymi Maiorica* Annales, anni cujuſdam multò pòſt ſequentis: [*RR.*] cùm ab omnibus ante hos annos Scriptoribus *Michaël*, nec aliter, appellaretur. Sed videlicet & huic *Arimenſem* illam, de mutandis in JOANNEM nominibus, aſperſam fuiſſe *ſuperſtitionem*, & placuiſſe, ſuſpicor. Quidquid iſtius fuerit, non laboro. rem potiùs ipſam, quàm Nomina, perſequor. Erat igitur *Protaſio* filius hic, primogenitus, & provinciarum Patris deſignatus hæres. Huic pater anno Salutis 1599. Virginem deſponderat inſignem moribus,& natalibus nobiliſſimam, *Martham* nomine, Gubernatoris urbis Sacajæ, Viri Chriſtiani, filiam & ipſam Chriſtianam [*SS.*]: convivebántque annum jam decimum, aut ſiquid ampliuseſt, in thalamo, coram Eccleſiæ facie depacto & inito.

XXVIII. Venit in mentem Imperatori *Daifusáma*, ad irretiendum ampliùs ampliúſque *Protaſium*, eúmque unà cum filio *Michaële* Chriſtianis à legibus avertendum; conjungere *Protaſii* filio puellam quandam, proneptem ſuam, FIMEN dictam. Obtulit conditionem hanc & nuptias, ut ad

eas

Protaſius.

eas Filium impelleret, *Protaſio.* Et *Protaſius*, omni poſtpoſito Dei timore memoriáque, non modò, quod offerebatur, non repudiavit; ſed maximo potiùs honori ſibi rem eam, tam ſceleſtam, ducens; & viam fore gradúmque ſperans ad altiora certiſſimum, *Imperatoris Affinem Eſſe Dicique*: confeſtim conditionem acceptavit: Filióque *Michaëli*, quid paternæ voluntatis & conſilii eſſet, propoſuit. Nec difficilem, aut cunctabundum, expertus eſt. Qui enim, jam olim fortaſſis, cùm in Aula *Daifusáma*, Surunganâ pro Ephebo honorario verſáretur, [*TT.*] conjecerat in Puellæ formam oculos; avidè nefandum hoc & innuptum Connubium, acceptavit. Continuóque Optimam ſuam, & Virtutibus Chriſtianis omnibus ornatiſſimam, Uxorem *Martham*, ejecit, juvenculam tunc annorum haud ampliùs Viginti & unius: extrusítque improbus è regia Palatióque Arimenſi, in pagum quendam [*VV.*] Chingivam dictum, in mapale ſtramineum. ubi ipſa ſibi deinceps & Domina ſimul & Famula fuit (nam & gynæcéum ei univerſum Michaël detraxerat) ſuarúmque in rivo prætерfluente veſtium lotricem Matrona princeps egit.

XXIX. At *Michaël*, ab eo temporis puncto, quo *Martham* ejecerat, cum FIME ſua paganâ, perpetuo in adulterio haud aliter vitam egit, atque in juſtiſſimo conjugio. In quo, quàm grande fuerit, quámque omnino *Mortiferum Peccatum*, quis Chriſtianorum ignorare debet? ut, quibus expreſſiſſima Chriſti ſcripta lex ſit; *Quod Deus coniunxit, Homo non ſeparet*? Et, *Erunt Duo* (non, Tres, ut tunc erant, in Michaële, Martha uxore, & Fime Pellice) *in Carne unâ*. [XX.] Et huic tamen *Coniunctioni* (immò *Diviſioni*) tam ſceleratæ, cum injuria maxima partis

Protaſius.

tis Innocentis, cum ſummo Chriſtianorum omnium, quin & Gentilium, ſcandalo conjunctæ, non modò conſenſum *Protaſius* præbuit (in quo tamen vel ſolo, graviſſimè mortiferéque deliquiſſet; clamante contra tales Sancto *Paulo*, ad Romanos primo, verſ. 32. *Non ſolùm, qui talia faciunt, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus, Digni ſunt MORTE*) verùm etiam impulſu ſtimulóque paterni ſui imperii induxit ad hoc Filium: eáque, quâ abſtrahere debuerat, manu & auctoritate ad *Peccatum Lethiferum* ſciens prudens, natum genitor pertraxit. O, ſcelus! ô fœditatem! ô facinus in ſancta Chriſtianitate inauditum! En, dilecti, quemadmodum *De Peccato fiat gradus ad Peccatum.* Utique (inquis) *Enorme! & in Principe Chriſtiano nimis quàm exſecrandum Delictum!*

XXX. Sed; *Cur non Patres* (ais) *qui in Protaſii tunc Regno erant, & Animæ quidem etiam Collegium habebant: Cur non interceſſere facto tam turpi? Protaſii Principis Confeſſionum & Animæ director, non vidit iſta, Speculator Cæcus? tacuit ad iſta, Canis mutus* [YY] *non valens,* aut non volens, *latrare?* Ah! mi homo! Principes & Magnates, cùm ſemel cœperint, obfirmatâ in pravum obſtinatione, DEI legem & Eccleſiæ perrumpere, HOMINIS monita non morantur, ſed, Adhortatione magis etiam magíſque efferati, dicunt; *Sic volo! ſic iubeo! Meum eſt hic Dominium.* Aut, quod Amaſias Rex [ZZ.] ad Propheten dixit; *Num Conſiliarius Regis es? quieſce; ne interficiam te*, Aut, *Eiiciam te aulâ, urbe, Ditione meâ cum omnibus tuis: atq; pro Te, alios facilè reperiam, quibuſcum conveniat mihi concordiùs.* Et, quid mirum, *Magnates* interdum ſic loqui, & agere? cùm etiam viliora capita, vel paululùm ad-

Protaſius.

monita aut increpita, *De PECCATI Statu, Periculi pleno, vel Lethali*; nec *veritatem* ferant, nec *veridicum*: ſed ab eo, continuò ad aliud ſacrum tribunal devolent, *Conſutores-pulvillorum ſub-omni-cubito-manus* [*AAA.*] quærentes? & ſic, intrà anni unius periodum tot Conſcientiæ ſuæ Rectores habeant, quot in Faſtis Sereni dies, per propitios Aſtrologos ſcribuntur, pro vere & æſtate? Sed talia curare non debent *Servi Dei fideles.* non, inquam, Iram eorum, quos monere debent; nec expulſionem, nec deſertionem, ac neque mortem ipſam: ſicut & Patres hi Arimenſes, nec minimùm curâſſent: & aliquando reipſa declarârunt, circa Salutis annum milleſimum, quingenteſimum octogeſimum quartum; quod illius temporis Annuæ fuſiùs exponunt. Verùm tanta fuit aſtutia tum *Protaſii*, tum *Michaëlis*; *ut* (ſicut his ipſis verbis expreſsè memorat in Appendice Annuarum anni 1612. Nicolaus Trigautius) *Patres priùs Rem factam viderint, quàm, Futuram ſubodorarentur. quam tamen* (adjungit porrò) *ut vel maximè prævidiſſent, impedire minimè potuiſſent. Tantum, apud homines valet, Dominandi Cupiditas!* Cùm enim tam gratioſum ſe jam apud *Daifusámam* Imperatorem *Protaſius* videret; ſperabat, & ſpe quaſi certiſſimâ devoraverat (additâ præſertim nunc etiam Affinitate) ſe *Regni Figenſis partem illam*, quam olim ſibi *Taicosáma* Tyrannus, *Daifusámæ* anteceſſor, eripuerat, *Regno* ſuo *Arimenſi*, & territorio *Tacacuano*, adjecturum. & tunc ſe, omnibus illic Chriſto ſubjunctis Subditis, Peccata tanta facilè, tanto tot hominum *Converſionis* bono, compenſaturum.

XXXI. Apud *Homines* igitur, hoc tam ingens Scelus, & fœdum *Adulterium* (quid enim erat aliud?)

illud ?) tunc quidem fuit impunitum. Sed, in Tabulis *Dei* Judicialibus, *Peccatum*, tam *Protaſii*, quàm Michaëlis, *ſcriptum* erât *ſtylo ferreo, in ungue adamántino*; [*BBB*] deſtinatione videlicet pœnæ inflexibili & indelebili. *Adulteros* (& eorum conſcium, adjutorem, impulſorem) ne dubita, dimiſſos ab Hominibus aliquantiſper, & incaſtigatos, *Judicabit Deus* [*CCC.*]; ſicut audiemus proximè, Deo largiente: quando triſtiſſimum *Protaſii* exitum (non multò pôſt ei illatum) & deterrimum *Michaëlis* graviorémque priori lapſum, contemplabimur. Omnino enim, Omnino, (chariſſimi) verum eſt, & inexpugnabilis firmitudinis, id, quod de *Peſtiferis Fructibus*, ac pavendis *Peccatorum mortalium* Pœnis ſcriptum eſt, à Filio Sirâchi [*DDD.*]; *Ne dicas, PECCAVI: &, quid mihi accidit triſte? Altiſſimus enim, eſt Patiens Redditor. Quaſi nidum* (inquit hic *Altiſſimus*, alibi) *invênit manus mea fortitudinem populorum* (& integrarum quoque *nationum* ac regnorum Peccantium: quantò magis, *unius Hominis*, aut Duorum?) *&, ſicut colliguntur Ova, quæ derelicta ſunt* (interdum à villica; de induſtria uno repoſito deſertóque, donec Plura illic à gallina excludantur, ut ea omnia deinde ſimul ac ſemel auferat): ſic Deus Delictorum mortalium, & Pœnarum pro iis, maturitatem præſtolatur; quas tempore ſuo palàm repræſentabit & expediet. [*EEE*] Deſinamus igitur, dilecti, deſinamus, facere ac loqui ea, quæ nonnullos interdum facere aut dicere, videmus audimúſque: cùm, immiſsâ tribulatione, tentatione, adverſitate, morbo, vulnere, corporis aut membrorum fracturâ, domûs incendio, ſegetum & anni ſtrage, charorum inexſpectato obitu; ſimilibúſque aut diſſimilibus ærumnis aliis

quibuſcunque, murmuramus adversùs Dominum: impatientiâ noſtrâ proximis offendicula ponentes, dicendo impiè; *Et quomodo potuit Deus eſſe tam Immiſericors? ut me, tale nihil promerentem, tam crudeliter affligeret* (ô verba, blaſphemię plena, Gehennámque provocantia!) *Cùm ſint alii mille graviſſimi Peccatores ac Peccatrices: qui, quamvis & hac & his innumerabiliter plura, meruerint; tamen impunè ferunt? Solus ego, tam Innocens, adeò graviter & acerbè plector?* O, væſane! & *Innocens* tu? *Sine Cauſſa* meritóque tuo, tu *plécteris*? *Nunc* quidem forſitan, hac horâ, hoc die, hac ſeptimanâ, hoc menſe, quo affligeris; hoc anno, quo caſtigaris, nihil patrâſti tam enorme. Sed, Redi per memoriam, & *examen generale* tot annorum adoleſcentiæ tuæ, pubertatis, Juventutis, virilitatis, Senectutis; hujus aut illius Statûs, miniſterii, officii, occupationis, occaſionis, loci. Juro tibi: reperies (ſi modò nondum omnino Cæcus es) reperies *Protaſiana* nonnulla, aut alia quæcunque, quibus graviter *Bonum Summum* offendiſti. Horum, & aliorum omnium, (quæ ſcis, & neſcis; quorum recordaris, & quorum oblitus es) *Altiſſimus, patiens Redditor, Nunc* Pœnas infligit tibi, quas *Tunc* provocâſti: *Nunc* FRVCTVM *comedis peſſimarum adinventionum tuarum* [*FFF.*], id eſt, *Pœnas Temporales* ſcelerum tuorum, & abominationum: quas tu Pœnas (oro te) Patientiâ magnâ ſupportes; & Impatientiam tuam blaſphemiámque Confeſſione humillimâ expiare ſtudeas; cum Davide, dicendo Sacerdoti; *Quoniam Iniquitatem meam ego Cognoſco!* [GGG.] & cum Achano illo ad pedes examinantis Ioſuæ; *Verè, ego Peccavi Domino Deo Iſraël, & ſic & ſic feci!* [*HHH.*] ut ſic evadas Pœnas, Temporalibus iſtis mille-

Digitized by Google

millecuplo graviores; immò inexplicabiles & Sempiternas! Hæc hactenus de *Protaſii* Principis, ſeu Regis Arimani, *Probitate* primâ: deinde, de *Lapſibus* illius in *Gravia delicta*, Scandaláque, dicta Charitati veſtræ ſunto, & hodie ſufficiunto.

TESTIMONIA.

[A.] *In Epiſtolâ, à Protaſio ad Gregor. XIII. Pontif. max. datâ anno* 1582. [B.] *Laurentius Mexia, in Annalibus anni* 1580. [C.] *Iſaia cap.* 28. *vers.* 19. [D.] *Protaſius. in litteris ad Gregor. XIII. datis anno* 1582. [E.] *Apud Ioannem Hayum Scotum, lib. De rebus Iaponicis, pag.* 113. *editionis Antuerpianæ.* [F.] *Liber, de Legatione Iaponicâ, Germanicè ex Italico verſus, & Dilingæ impreſſus. ad finem.* [G.] *Nicolaus Trigaultius in Triumphis Iaponicis. & in Annuis, ſeorſim.* [H.] *Aloyſius Froês, in Annuis* 1584. [I.] *Franciſcus Paſius, in Annalibus anni* 1601. [K.] *De hoc, ſub alio nomine, quod olim, Chriſtianus adhuc, habuit, multa per omnes Annuas leguntur, maximè ab anno* 1588. *ac deinceps.* [L.] *Nicolaus Trigaultius in Triumphis Iaponicis, lib.* 5. *cap.* 6. [M.] *Hic videtur is idem eſſe; qui olim Bartholomæus Iunior, fuit dictus, cùm adhuc Chriſtianus eſſet. vide Matthæum Couros, in Annuis anni* 1603. [N.] *Ioannes Hayus Dalgattienſis in Rebus Iaponicis, inter Annos* 1590, & 1600. [O.] *Matthæus Couros in Annuis* 1603. & *Ioannes Rodericus Giron, in annuis* 1604. & 1605. [P.] *Matthæus Couros, in annuis* 1603. *pagin.* 37. *edition. Mogunt. apud Balthaſarum Lippium.* [Q.] *Trigautius lib.* 1. *Triumph. Iaponic. cap.* 5. [R.] *Matthæus*

Couros, in Annuis 1603. *pagin.* 38. *edit. Mogunt.* [S.] *Gabriel Matóso; in annuis* 1602. [T.] *Ludovicus Froëſius in annuis* 1588. [V.] *P. Franciſcus Paſius, in Annuis* 1601. [X.] 1. *Regum. cap.* 13. *verſ.* 14. [Y.] *In Annuis Iaponicis anni* 1601. *editionis Antuerp. apud Martin. Nutium, pag.* 592. [Z.] 1. *ad Corinth. cap.* 10. *verſ.* 12. [AA.] *Ad Roman. cap.* 11. *verſ.* 20. [BB.] *Eccleſiaſtici cap.* 27. *verſ.* 4. [CC.] 1. *Paralipom. cap.* 28. *verſu* 9. [DD.] *Ieremiæ cap.* 22. *verſ.* 24. [EE.] *Ad Philippens. cap.* 2. *verſ.* 12. [FF.] 3. *Regum, cap.* 11, *verſu* 4. [GG.] *pagin.* 183. *edition. Mogunt.* [HH.] *Ad Galatas cap.* 5. *verſ.* 6. [II.] *Matth.* 19. *verſ.* 17. [KK.] *Eccleſiaſtici* 32. *verſ.* 24. [LL.] *Ad Romanos cap.* 2. *verſ.* 5. [MM.] *De Peccati quantitate, in tali caſu, vide S. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 38. *art.* 3. *in Corp.* [NN.] *Trigautius in Annuis Capite* 2. [OO.] 1. *ad Corinth. capit.* 13. *verſ.* 6. [PP.] 1. *Ioan. cap.* 3. *verſ.* 12. [QQ.] *Act. Apoſtol. cap.* 5. *verſ.* 29. [RR.] *Hieronymus Maiorica, in annuis* 1622. *qui eum*, Ioannem Michaëlem, Ioannis, Arimenſis Dynaſtæ, filium nominat. [SS.] *Alexander Valignanus in* Annuis 1599. [TT.] *Valignanus. pag.* 67. *in* Annuis Antuerp. *editis.* [VV.] *Trigautius l.* 1. *Triumph. Iaponic. cap.* 17. [XX.] *Matthæi cap.* 19. *verſ.* 6. [YY.] *Iſaiæ cap.* 56. *verſ.* 10. [ZZ.] 2. *Paralipom. cap.* 25. *verſu* 16. (AAA.) *Ezechielis cap.* 13. *verſ.* 18. (BBB.) *Ieremiæ cap.* 17. *verſ.* 1. (CCC.) *Ad Hebræos cap.* 13. *verſ.* 4. (DDD.) *Eccleſiaſtici cap.* 5. *verſ.* 4. (EEE.) *Iſaiæ cap.* 10. *verſu* 14. (FFF.) *Ieremiæ cap.* 17. *verſ.* 10. (GGG.) *Pſalm.* 50. *verſu.* 4. (HHH.) *Libri Ioſuæ cap.* 7. *verſ.* 20.

Peſti-

Protaſius.

Peſtiferorum Peccati Mortalis Fructuum,

EXEMPLUM TRAGICUM II.

IDEM PROTASIVS, ET, PAVLVS DAI-FACHIVS.

De Protaſii ulterioribus, quorum accuſatus eſt, Criminibus: déque Pauli Daiſachii Fraudibus, & Avaritia: necnon de utriuſque Supplicio, ac Temporali Interitu.

Dictum 26. Die Februarij, ſeu Dominica I. Quadrageſimæ, Veſperi.

I. OCVLI Charitatis veſtræ, in me pariter intenti, non videntur mihi nunc *Oculi* tantùm eſſe, ſed *Ora* quoque ac Linguæ: nec *aſpicere* ſolùm & intueri, ſed inſuper & *loqui*, rogaréque ex me, verbis hiſce, vel horum ſimilibus; *Cùm nudiuſtertius dicere ſis exorſus*, De Peccatorum Mortalium Peſtiferis Fructibus, *addiderisque initium te facturum*, à Pœnis MORTIS TEMPORALIS, per Sæculare brachium inflictis: *audivimus nos* (*& avidè quidem, attentéque*) *non minùs* Inſignes *Virtutes* ac Laudes, PROTASII, Arimanorum Regis ſeu Principis, quàm *Graviſſima* Senectutis ipſius *Peccata Mortalia*, de *Oneraria* Luſitanicâ expugnatâ, déque legitima filii ejus *Michaëlis uxore*, in aliam e-

ámque adulteram, commutatâ. Sed POENAS non audivimus. Oblitus es? an deluſiſti nos? &, hianti vel maximè ore nos omnes præſtolantes, dimiſiſti vacuos, ac pendentes? Non ità, dilectiſſimi, non ita. Pro die illo feriæ Sextæ ſeu Divi Matthiæ, quo *Protaſium* audiſtis, Sol occubuit; & Nox in diſceſſu veſtro nobis omnibus ingruit. Sed, heus vos! nondum ideò *Dierum* etiam (ut dici ſolet) *Omnium Veſpera proceſſerat.* Deus & *Hodie* diem nobis eſt largitus alium; & hoc vos Die, quantum illius adhuc ſupereſt, audietis & reliquum. PROTASII videlicet *Peccatorum Mortalium*, tragicâ dignas lamentatione, *Pœnas.* nec PROTASII ſolius; ſed *& alterius cuiusdam Peccatoris* horrendum *Supplicium*, ex participatione criminum *Protaſianorum* mutuâ connexáque. Præbete igitur, velut nuper, ſic Hodie quoque, voſmetipſos attentos mihi; devotóſque Vindici-Scelerum, Divinæ Majeſtati. Curſus autem Narrationis ulterior, iſte eſt.

II. Ecce, chariſſimi: Patratis *gravibus* illis *Duobus Delictis*, quibus Iaponiæ Tyranno ſeſe venditavit, & unicè approbavit, *Protaſius*; dubitare nullo modo cœpit: quin, tanquam *Affinis* jam Monarchæ ſui, confecturus eſſet, & impetraturus Omnia, quæcunque modò animo concepiſſet, aut concupiſceret. Nec Diabolus illius incitationi defuit; qui jam pridem illum, ceu *Potentia latioris* cupidum, *Duxerat* (ut in hodierno eſt Evangelio, ex Matthæi 4. à verſu, 8.) *in Montem* Cogitationum ambitioſarum *excelsum valde*; *& oſtendit ei Omnia Regna* Iaponiæ Sexaginta Sex, *& Gloriam eorum*: *& dixit ei*; Elige, quod vis. Hoc *tibi dabo*, *ſi cadens in Terram*, & in præcipitia peccati mortalis, *adoraveris me.* Et *Protaſius* elegit ſibi *Regnum Figenum*;

cujus

cujus (uti nuper dixi) partem quandam non contemnendam, à majoribus ejus poſſeſſam, per Violentiam alienam, ac tyrannicam diſtribuendi libidinem *Taicosáma* Imperatoris, amiſerat: & quam tunc temporis (*A.*) obtinebat *Canzviendónus*, Tyrannus etiam ipſe, Chriſtianorúmque carnifex atrociſſimus. (*B.*)

III. Ad hujus igitur Regni Partem illam (aut etiam eâ plus) recuperandam obtinendámque; ſummatímque ad ***Potentiam*** ſuam ***terrenam*** modis omnibus dilatandam: primùm quidem ***Grandia*** illa ***Peccata***, quæ dixi ***Mortifera***, admiſit; ut hâc viâ Iaponiæ ſibi Monarcham conciliaret adjutorem ac Reſtitutorem: prætextu, pallióque, Peccatorum Specioſo; Si ditionem Figenam recuperaret, ***Se, Subditis illius Omnibus, ad Chriſtum ex Idolomania perductis, Converſionis tot millium Bono, ſua Mala perpetrata faciliùs compenſaturum.*** Sed ***Sapientia*** hæc erat ***Pſeudopolitica***; ***Sapientia*** (ut Divus Jacobus ait, capite tertio, verſu 15.) ***nôn de Surſum deſcendens, ſed*** ex inferis, ***ſed terrena, animalis, Diabolica.*** Sapientia eorum, qui apud Divinum Paulum clamant (ad Romanos tertio, verſu 8.) ***Faciamus Mala, ut veniant bona!*** Sapientia denique illorum, qui triticeum campum aliquem multorum milliarium, equis conculcant & pedibus evaſtant: ut, poſteaquam diu laborioséque cultæ ac ſpecioſæ Segetis jam planè nihil ſupereſt, tunc *Zizania* eradicent. Id quod (ut loco ſuo audiemus) regnis his, ***Arimano*** & Figeno poſtmodum evénit. Hoc primum igitur, ac vitioſum præpoſterúmque augendæ Potentiæ Inſtrumentum perperam ***Protaſius*** arripuit.

IV. Deinde, propter hæc inconceſſa, ***Protaſius*** idem, medium quoddam aliud infœlix & impro-

Protaſins, & Daifachius.

ſperum, (atque iſtud quidem Improvidus inſciénſque malitiæ & periculi latentis) arripuit; quo deinde, permittente æquiſſimo Numine, penitus eſt in foveam prolapſus & exitium: quoniam ſic promeritus erat. *Nam* (ut Divus ait Gregorius Magnus) *Prioris Peccati meritô, Subſequentium* (Peccatorum) *fovea tegitur; ut, qui malum Sciens perpetrat, iuſtè deinceps in alia, etiam Neſciens, cadat.* (C.) Iſtud autem *Infœlix improſperúmque* (quod dixi) *Medium augendæ Potentiæ* ac Ditionis, fuit in aula Daifuſamæ Imperatoris Surunganâ, Secretari⁹ quidam, *PAVLVS* nomine, cognomento *DAIFACHIVS*, vir genere nobilis, ex Quanto regno oriundus, & cum uxore domóque ſuâ Chriſtianus. Hic Advocatum aliquamdiu Cauſſidicúmque forenſem egerat: donec, ob induſtriam, ad altiora ſenſim, ipsámque adeò in Regiam, promotus, aſcendit. Habebat autem annis aliquam multis *Paulus* iſte *Boni Viri, Probique Chriſtiani*, conſentientem apud Fideles laudem ac famam. Quin etiam in Annuis Patris Matthæi Courofii ſcriptum reperio; Eum nominatum *Chriſtianum Optimum*: *quique, ubicunque rebus Patrum & Chriſtianiſmi commodare poſſet, induſtriam ſuam deſiderari nunquam ſit paſſus*, (*D.*) Sed, proh dolor! ubi *Honores* aliquando (quod rarò fit) non *mutant mores*, ibi *Munera, Sapientum Oculos excæcant, & mutant verba Iuſtorum.* (*E.*) Erat ex Japoniæ Summis magnatibus in eádem aula, *Daifusámæ* Imperatoris familiariſſimus, intiméque charus, quidam Ethnicus (ſed Chriſtianis tamen benevolentiſſimus) *Conzuquedónus* nomine (*F.*): penès quem erat altiſſimorum quorumque Monarchiæ negotiorum cura; Daifuſamæ arcanorum Sinus & gremium; ac Regnorum (ut in

Protaſius, & Daifachius.

in Japonc (ſæpe fit) vacantium Diſtributio, pro cujuſque promeritis. *Conzuquedónus* hic ſibi *Daifachium* fecerat à Secretis; intérque familiares & Amicos primi censûs adſcripſerat. Idem ipſe *Daifachius*, & *Protaſio*, *Arimanorum Principi*, jam dudum notiſſimus evaſerat. In hunc ergò *Protaſius* animum ſuum omnem, atque cogitationes defixit; litteris creberrimis, & aſſiduis (tam pro eo, quàm pro iis, qui ſibi in Regia *Daifasáma* demerendi erant) largitionum ac munerum miſſitationibus, ejus induſtriam ſibi benevolentiámque emercatus: eâ mente, conſilióque: ut, *Canzviendóno* illo (quẽ dixi ſuprà) Regni Figenſis incubitore inſeſſoréque, de Parte illa, quam *Protaſius* ambibat, detruſo, Ipſe (Arimæ Princeps) in poſſeſſionem reſtitueretur: ídque *Conzuquedóni*; Magnatis illius aulici, apud Imperatorem ſuffragio atque anniſu. *Paulus Daifachius* (ut vir aſtutus, & cupidus) acçipiebat omnia, promittebat cuncta, faciebat N I H I L, aut certè haud itá multum; quoad plura ſemper ac plura acciperet.

V. Dictu expertúque luctuoſiſſimum eſt, quòd in Aulis nonnullis, & apud Officiales quoſdam, (etiam apud eos, qui Probi videri volunt) nemo quidquam Sine Muneribus & Corruptelis impetrare queat. Sæpe, ubi aliud non ſuppetit, Uxor eſt, aut Filia, commodanda, turpem ad uſuram. Clamo non ego: Clamat divinus Iſaias (G.); *Omnes munera diligunt.* & qui *Omnes*? *Principes tui* (de temporis ſui Jeroſolymitanis Proceribus quiritatur) *Infideles*; *Socii Furum*: *ſequuntur Retributiones.* Nec tamen Summi tantùm, & Conſiliarii, & Præſides, & Aſſeſſores nobiles, & Secretarii, Syndicíque, ſed planè (quod & Joannes Pauli pridem, ac fusè, Tractatu

Digitized by Google

ſtatu de Judiciis, Judicibus, ac Notariis Advocatiſque, conqueſtus eſt: & alii Scriptores plures, cum Fatuorum Navicula, ſingillatim annotaverunt) ii quoque, quorum Sanguis, & vita, & Succus omnis eſt fuítque ſemper, Atramentum & ſepia: qui, multis in locis, paulatim etiam in his, quæ officii debitíque ſui ſunt, Præſtare indigentibus, & ſtipendiatis, operariíſque, Nihil omnino Gratis volunt; non Sæcularibus, non Eccleſiaſticis, & Religioſis: ſed conventi, continuò manum aſpiciunt, Utrùm incurva ſit & delenimentum aliquod ſive donum geſtet? aut Pallium intuentur & axillam; num ſub illa *Phryxæus* aliquis *Aries*, aut *Vellus Aureum* apportetur? Et ſi quidem *afferri* videant *aliquid*, Gratus hoſpes, Gratiſſimus adventus, blandiſſima allocutio eſt. Si *Nihil*; *Buſiridis* (ut in proverbio eſt) *Inhoſpitalitas*, & *vultus Titanicus*, diſtringitur. *Nemo domi eſt.* Jam aliis impenſa eſt omnis, & effuſa, gratia. *Benedictionem omnem* illorum, *abſtulit Iacob*: iſti villoſo *Eſau nulla*, ne de *rore* quidem *Cœli*, reſervata eſt. (*H.*) Quid multis? Diſpenſant Favores, officia, Salaria, Cenſus, ſtipendia, profanis, diſſolutioribus, ſui ſimilibus, minùs interdum indigentibus; ſed, *unctoribus*; & negligunt interim egentiores, Orphanos, pupillos, viduas, Deo Sacros. *CUR DAREM?* (inquit). *Anno toto, non ſaltem Xeniolo me dignantur uno, vel Strenâ, vel invitatione ad Convivium, & ſimilibus.* Eſto! ſit hoc verum! Quid autem hoc ad te? Fac tu, quod tuus tibi Princeps, quod Deus, quod Jus, mandavit. Ut officium tuum faceres, & *Suum Cuique redderes*, tibi mandatum eſt. ut alii te muneribus, ſtrenis, Xeniis, conviviis, ſibi conciliarent, hoc tibi mandatum non eſt. Fac tu, quod tibi præceptũ eſt: & omitte, quod Præceptũ non

non eſt, neque tibi, neque, illis; ſed potiùs interdictum. Hoc, quod dico, vident tectiores aliqui munerum amatores, Rectè conſonéque rationi dici, Ideóque Munera ipſi à nullo facilè accipiunt: ſed Offerentem, ac mentionem Unguentorum metallicorum incoram ingerentem, pudibundi exhorreſcunt, tanquam *aſpidem & baſiliſcum.* &; *Deus avertat* (aiunt) *ne faciam hoc tam grande nefas*! Interim tamen, urgenti rurſus & inſtanti, dicunt in abitu; *Mihi Nihil*! permittunt tamen, per manus alienas ad ſe Honorarium tale, quaſi per Pſeudóthyron (ut ait in Verrina quadam Romanus Demoſthenes) obliquis viis intrare. *Exiguum* (ajunt) *aliquid*! Et, quid illud *Exigui*? Torques, aut monile, vel Armilla; ſi Dives ſit, & ex Optimatibus, Sollicitator talis favoris pretioſi. Vel, ſi mediocris fortunæ; Generoſi vini Dolium: ſi Civis, Panni melioris, aut byſſi, volumen: ſi aurifex, Annulus: ſi pellio (quod & proverbia jam habent antiqua) *pelliceum novum*, in quo Diebus feſtis Juno ſua pompam trahat. Et hoc quidem, *Accipientibus Exiguum eſt*: *Largienti* verò, *plus nimio magnum ac Multum.* Hoc ſic fieri, teſtari complurium, hôc cœno largitionum ſordidata, Conſcientia poſſet: & *Experti* lamentantur *Roberti.*

VI. Ex hoc igitur *Muneripetarum* cenſu fuit & *Paulus* ille *Daifachius*: qui tamen nihiloſecius, etiam poſt plurima ſibi dono miſſa, menſes in complures Principem *Protaſium* diſtulit: ac vix aliquando tandem *Apographum* (ut ajebat) ei miſit Imperatorii Diplomatis; quo Regni Figenſis amiſſa pars ei reſcribebatur, ſicut petierat: falsò tamen & commentitiè; ſicut hodiéque crebrò fit, ut falſæ adulterinæque Bullæ Pontificiæ Diſpenſationum pro Matrimoniis; Patentes Sæcularium Principum;

Protaſius, & Daifachius.

pum; *Polita* (ut vocant) Gubernatorum, & belli ductorum, obtrudantur ad mercatum ac pretium: non ad commiſſionem, ac verum. Notavit hoc etiam *Protaſius* tandem; cùm Autographum Principale, ſeu Imperatorium, ſæpe ſæpius petitum, à Paulo tamen nunquam tranſmitteretur. Ac Paulus quidem, culpam univerſam trajecit in Daifusámam Imperatorem (& fuêre, qui crederent, Sic revera ſe rem habuiſſe) Eum, cauſſatus, tanquam Senem Inconſtantem & variabilem, mutâſſe primam, de reſtitutione Figenſis regni, Sententiam. reſultûs autem illius cauſſam fuiſſe, Sáfyoium, Gubernatorem Nangaſaquianum. (*l.*) Id, quod alioquin à Viri illius moribus haud abhorrebat. nam & aſtutiſſimus erat Safyoius, in eorum machinandis exitiis, quos ipſe oderat, aut quibus invidebat (eorum more, qui ex Humillimo ſubvehuntur in Altum. Faber enim ferrarius olim fuerat, operâ poſtea Sororis apud Daifusámam promotus ad celſiſſimas Dignitates) & Chriſtiani præterea nominis ſemper fuerat, ac perſiſtebat, inimiciſſimus. denique privatim Protaſio, Arimanorum Principi, perinfenſus. Et hæc talia à Paulo Daiſachio nominatim ſingillatímque perſcribebantur Protaſio. Unde paulatim Inimicitiæ inter Protaſium, ac Safyoium, internecinæ ſunt ortæ; qui antehac tamen inter ſe concordiſſimi ſunt eſſe viſi: inprimis autem ex eo, quòd Safyoius ante ſeſquiennium, in evertenda Luſitanorum Oneraria, Protaſium, ejus Oppugnatorem, ope nefariâ adjutâſſet. Præclari nimirum hi FRVCTVS ſunt pravarum Soietatum! ut, Numinis juſto permittente conſilio furoréque, tantò poſtea diſſideant, quantò arctiùs antea conglutinati fuerant: ſicut ſcriptum eſt, Judicum nono, verſu

Protaſius, & Daiſachius,

verſu 23. Miſit Dominus Spiritum peſſimum inter Abimelech & habitatores Sichem; qui cœperunt eum deteſtari (quem priùs adjutârant).

VII. Ne multis autem Charitatem Veſtram, circa Protaſium & Daifachium, ſuſpenſam teneam: Re, & negotio, ab Novembri anni milleſimi, ſexcenteſimi Decimi, ad Martium uſque anni milleſimi Sexcenteſimi Duodecimi extractâ; conſtituit tandem Protaſius, ipſe per ſeſe in rem præſentem venire: aſſumptóque proinde Filio quoque ſuo Michaële cum Fima, illegitimâ Filii uxore, nec non Juſta, conjuge propriâ, in urbem Surungam, imperatoris Daifuſamæ (ſicut ſæpe dictum eſt) Sedem, iter intendit. Quæ profectio, incidit in anni milleſimi ſexcenteſimi Duodecimi *Quadrageſima* initium: cùm (divino tangente digito Pectus ipſius, in criminibus iis, quæ commemoravi, ſatis jam diu obduratum (*Protaſius* per *Confeſſionem* ſollicitam, in ipſo profectionis apparatu, vitam priùs omnem anteactam, non ſine lachrymis, expiâſſet. (*K.*) Sed videlicet (quod principio monui); *condonatâ nonnunquam Ob Pœnitentiam & Exomologéſin culpâ, non ideò confeſtim Omnis quoque Pœna condonatur.* quod in *Protaſio* hoc manifeſtum evadet: qui, longum ingreſſus iter, Fuſcimi tamen poſtea ſubſtitit, urbe, itineris ferè mediâ: *Filiúmque*, & *Fimen* adulteram, præmittit Surungam, ad agendum cum *Paulo Daiſachio*, ſuper pendente illo negotio. *Daiſachius* convenitur ab eis; ſupérque Figenſis Controverſiæ cauſſa, Patris ac Soceri nomine, interpellatur. Diſſimulante verò *Paulo*, cùm urgeretur; *Vbi fides? ubi pollicitorum effectus?* cardo verti cœpit & immutari: negare Paulus, ac pernegare, quidquam unquam promiſſum. (*L.*) Confutatur tamen

Protaſius, & Daifachius.

Digitized by Google

tamen & convincitur, ex *Apographo* illo, (de quo dictum eſt.) Ille adhuc impudenter negat, Suum eſſe, ſuáve manu. Perfertur ergo res ad *Conzuquedónum*, aulæ Imperatoriæ ſupremum Præfectum illum, cuj à Secretis erat *Daifachius*. ſed hic coram eo rurſus éadem negat omnia, quæ modò, Michaële & Fime urgentibus, negaverat. *Conzuquedónus*, auditis utrimque alterorum adversùs alteros querelis; in re tam perplexa, quid ageret, ſollicitudinem non exiguam concepit. Veritúſque, ne ipſe tandem Secretario ſuo cooperatus crederetur, in eo, cujus ſcientiam conſcientiámque penitùs nullam antehac habuerat; ad Imperatorem *Daifusamam*, unà cum *Michaële*, ingreditur; omniáque, uti geſta erant, ordine memorat. Simul, occaſione tam opportunâ, privatim *Michaël*, ac *Fima* pellex, multis criminationibus *Protaſium* apud *Daifusamam* inceſſunt accusántque: tum aliis de cauſſis ac rixis domeſticis; tum, quòd illis *Protaſii* Senectus (vivacior, quàm ipſi vellent) in odio erat: feſtinantibus, eo mortuo vel amoto, ditionum illius poſſeſſionem adire. Videlicet, hic *Fructus* erat, copulati ab *Arimano Dynaſta* ſceleſti illius thalami! hic Exitus, malè educati, nimióque plus indulgenter habiti, Filii: cuj ſimilem ſobolem & vos, auditores, exſpectate; quicunque ex vobis, Liberis veſtris omnia conceditis ad libitum, & ad quævis eorum perperam acta dictáve connivetis. Ex quibus proinde, quid fiet tandem? *Progenies & Genimina Viperarum!* (*M.*) ſuíſmet olim parentibus, ventrem, & vitam, cum exitio fortaſſe ſempiterno, diruptura.

VIII. Sed hæc quidem in hunc modum tunc geſta ſunt. Secundùm quæ, *Daifachius* in carcerem

Digitized by Google

ſem, & cuſtodiam compingitur. *Protaſius* autem, qui cum Conjuge ſua *Iuſta* Fúſcimi tantiſper ſubſtiterat, imperatu *Daifusámæ* dicendam ad cauſſam evocatur. Res omnis Senatui Regio Surungano committitur: Colliduntur inter ſe coràm, *Paulus* ac *Protaſius*. *Paulum*, adhuc (ut cœperat) negare perſiſtentem, illius ipſiúsmet, Epiſtolis & irrefutabili manu chirographóque, *Protaſius* redarguit & convincit. Simul quoque Senatum regium, de diuturnitate ac multitudine largitionum, in *Paulum* effuſarum, edocet. Quibus omnibus irritatus exaſperatúſque *Paulus*, poſtquam everſam videt cauſſam ſuam, viciſſim in *Protaſium* inimiciùs acriúſque inſurgit: illius arcana varia prodit ac retegit: nominatim autem, compactam ab utroque ipſorum *Safyoio*, *Gubernatori Nangaſaquiano*, necem & inſidias lethales: qui *Safyoius* (ſic attemperante rem, Numinis juſtò diſpoſitu) tunc eò ipſo rerum ac temporis articulo, inter Judices *Pauli*, & *Protaſij* ſedebat; & hæc omnia cum ingenti ſtupore conſternationéque audiebat. Ad Summam! Mutua eſt, & multa, alterius in alterum ardens, accuſatio; ac, ſicut per Iſaiam ſcriptum eſt (N.) *Vnusquiſque Carnem brachii ſui devorabat*; *Manaſſes Ephraim, & Ephraim Manaſſen: ſimul ipſi contra Iudam*: hoc eſt, In grande damnum atque contumeliam *electi populi Chriſtianorum*, & Eccleſiæ Japonicæ. Porrò, omnis hæc altercatio, mutuæque duorum Accuſationes, abſente *Daifusámâ*, coram Regii Senatûs conſeſſu editæ, deferuntur tandem à Concilio ad *Daifusámam* monarcham. Is, graviter admodum excandeſcens, oblatâ nunc ſibi tam optatâ occaſione, *Duorum* à flagitio, *totam* in Religionem indignandi argumentandíque, cœpit

D non

non ſemel exclamare furibundè! Inter cætera verò; *Videte, Videte*, inquit, *Chriſtianos! animadvertite, Iudices, & tangite manibus, Quidnam ſit in nova hac & tranſmarina Secta, Boni? cùm profectò tam Sceleſta deprehenſa ſint illius Suprema Duo Capita, Regiminis atque Fori, in Iaponia! Sectâ, doli fraudiúmque magiſtrâ, poſſeſſionum alienarum affectatrice; cuique nulla ſit alia par Superſtitio, terrarum in orbe, machinationibus, inſidiis, aſtu, impietate!* (O.) Breviter! *Protaſio* & *Paulo Daifachio*, ad diem Aprilis viceſimum, hoc eſt, illius anni *Paraſceven Chriſtianam*, Damnationis Sententia, decretorio Imperatoris mandato, denuntiatur. (*P.*) *Protaſio* quidem, tanquam alieni Regni (Figenſis) alienæque Vitæ (Saſyoianæ) improbo & inſidioſo appetitori, ut intrà biduum regno ſuo terríſque ac ditionibus majorum ſuorum dejectus, in exilium irrevocabile extrudatur: *Paulo* verò, ceu rapaci, Munerum acceptatori, Impoſtori, & Falſario; ut is poſtridie, unà cum *uxore* (fortaſſe, ceu munerum acceptorum conſciâ vel participe) ſupplicio publico moriatur.

IX. Ad utriuſque fatalis Sententiæ celerem exſecutionem, in urbe Surunganâ, proceditur. Illuceſcit poſtridianus dies, qui *Sabbati Sancti* erat, ſeu *Paſchatis Pervigilium*; Aprilis menſis, primus ac viceſimus! Venitur ad *Paulum Daifachium* in cuſtodiam, non à Carnificibus ſolùm, ſed & à veteribus amicis Idololatris. Suadetur ei, Ventrem ut ſibi, generoſiorum Japonum more, cultro vel ſicâ diſſecet, ad ignominiam Supplicii publici tam gravem, & ad pœnam longè atrociſſimam, præoccupandam. Sed *Paulus*, negat; Se, ceu Chriſtianum, id facere vel velle, vel poſſe. In eáque ſententia perſiſtit;

perſiſtit; *Omnes illas ſeu pœnas, ſeu publicas ignominias, ob Peccata ſe ſua promeritum*, faſſus ac proteſtatus: *ideóque Divinâ eas à manu, ſicut fas eſſet, acceptaturum.* Cum verbis his, & animo ſic comparato, *Paulus* educitur carcere: circumraptatur, ingenti cum ignominia, per urbis Surungæ vias ac plateas omnes celebriores. Ad palum deinde, ſeu Columnam, loco Suppliciorum ſueto, deligatur. Ei juxtim colliganda jungendáque & *uxor Pauli* (quod Imperatoria pridie Sententia juſſerat indîci) fuerat. Verùm, tum ipſius mariti, pro ea, conteſtationibus, de Innocentia ejus, in toto illo negotio; tum Imperatoriæ cujuſdam Pellicis interventu precibúſque, vita mulieri, ſed eâ tamen conditione, permittitur: ut maritali Supplicio coràm interſit, & illius ad finem uſque Spectatrix aſſiſtat. Rogus deinceps circa *Paulum* exſtruitur, ad paſſus quaqua verſum Tres: accenditur, torretur reus, cruciatur, uritur, ad Horas aliquot. Ipſe cum Peccatorum ingenti publicáque pœnitudine, fortiſſimè perſtat in flamma, præſentiſſimo ſibi ſemper animo. Uxor autem, adſtare viri Supplicio coacta, cohortationibus èum aſſiduis ad patientiam, Conſtantiam, Contritionem, & Spem Divinæ miſericordiæ, firmabat: donec extinctus tandem, in cineres ac favillas deſedit.

X. De *Salute* illius ſpem bonam Scriptores vulgò concipiunt. Ceterùm, exſpectavit quidem Animam *Pauli* hujus, jam olim, *Diabolus*: quando is in *Regno Quanto*, ad annum Salutis milleſimum Sexcenteſimum ſextum (hoſt eſt, Sexennio, ante mortem *Daifachii*) more ſibi familiari, per omnem Japonis Inſulam, ingreſſus *Vulpeculam*, penetravit in thalamum *Pauli Daifachii*, nocturnis horis; &,

articulata voce locutus ex ore beſtiæ, bis eum nominatim evocavit, *Daiſachi*! *Daiſachi*! inclamando. Sed, poſt multam Cubiculo toto ſaltationem, ſuíque petulantem circumvolutionem, *Vulpes* tandem illa (ex qua locutus *Sathanas* fuerat) in funiculum ſacri Reliquiarii, (è lecticâ tunç pendentis) implicita, tanquam in Laqueo hæſit: cúmque explicare ſe non poſſet; à ſurgente P*aulo* deprehenſa, interfectáque eſt. Quæ ſic geſta eſſe, velut memoravi; poſteritati tradidit *Ioannes Rodericus Girámus*, in Annuis anni milleſimi ſexcenteſimi Sexti Japonicis. (*Q.*) Videri poteſt hoc, indicium fuiſſe quoddam ac ſignum; *Daiſachium* hunc (qui, *Optimus* tunc *Chriſtianus*, audiebat) aliquando fore quidem P*artem Vulpium*, ut Pſalmus loquitur Sexageſimus ſecundus, undecimo verſu (quod ſanè ſunt Omnes, qui, per corruptelas Juris ac Juſtitiæ, *vulpinantur*, ſive rubro ſint illi, ſive gilvo, ſive à nigro, capillo barbitióve) & *Vulpem Tartaream* eum quidem, ceu P*radam* ſibi tunc temporis debitam, eſſe citaturam: ſed eum tamen, invictæ Fidei Contritioníſque potentiſſimis viribus, evaſurum ungues illius ac dentes; & *Diaboli* tandem *Victorem* futurum. Interim tamen, Aſſatus Paulus hic, publicéque *Facis* in morem *accenſus*, & in cineres radactus eſt; eo ipſo die, quo per omnem latè Eccleſiam *Benedictio* celebratur *Ignis*, & antiquo cantatur ritu, LVMEN CHRISTI. Quo die, ſine controverſia, cum ingenti mentis luctu ſenſit ac recenſuit ſecum Daiſachius, P*eſtiferum* P*eccatorum Mortalium Fructum*, & inteſtinum in viſceribus Delicti Tormentum: quámque *Amarum* eſſet *Reliquiſſe ſe Dominum Deum Suum*: quod dedeplorari Jeremias. (*R.*) præcepit. Sed inter hæc,

Digitized by Google

hæc, PROTASIUS noſter, ubi, vel quid rerum agebat?

XI. Sicut Decretum à Tyranno *Daifusáma*, *Affine* illô *Protaſiano*, fuerat, cujus *Arundini* Ægyptiæ miſer Protaſius *innixus*, *manum ſuam perforârat*: itá, ſententiam nullo mitigante, *Rex* olim, ac poſtea *Princeps* ſaltem (conſpicuus & potens) in exilium ejicitur: ídque, unà cum *IVSTA ſua*, tametſi non in ea minùs cauſſa, quàm in aliis omnibus, prorſus innocentiſſimâ: nec permittuntur *Principi* huic *Matronæ*, niſi pauculæ aliquot, è Gynæcéo veteri matronæ virginéſque pediſequæ. *Protaſio* verò, tanto nuper *Duci*, tótque ditionum Domino, Famuli, de tot millibus, ac legionibus, non niſi *Quinque* ſupra *Triginta*. Regnum autem *Arima*, Provinciáque *Tacácua*, & ſiquid aliud olim *Protaſii* fuerat, ab Imperatore *Daifusáma* (qui hoc ipſum & unum jam diu quæſierat, ut perficeret) in gratiam FIMÆ, proneptis ſuæ, traduntur *Michaëli*, Protaſii *Filio*, *Fimês adultero*: eâ conditione tamen, *ut continuò CHRISTVM eiuret*; *ad idémque Subditos ditionum ſuarum omnes ſeriò compellat*. Quorum *alterum*, infeliciſſimus hic confeſtim exſecutus eſt, *Idololatra* factus, (qui tamen ab ortu ſtatim, & utero materno, Baptiſmum Chriſtianum acceperat) *Michaëliſque* ſanctiſſimo abjecto nomine, *Sayemondónus* deinceps, Japonum pagano vocabulo, voluit appellari. (*S.*) *Alterum* autem, de ſubditis ſuis Omnibus à Chriſto abſtrahendis, nec in hodiernum quidem diem (ſi tamen in vivis adhuc eſt, quem *Septuaginta & unius anni Senecionem* oportet eſſe) perficere valuit: tametſi gladio, Suorum multos, jugulârit; flammis vivos aſsârit; tormentis exquiſitiſſimis dilacerârit; Cru-

ces, altaria, Sacella, templa, Collegia, Seminaria, funditus everterit; Societatis Patres ejecerit, nullúmque non lapidem moverit, ad *Chriſtianitatem* omnem (in quâ tamen educatus ab infantia fuerat) ſtirpitus exſcindendam: ad eum finem (nequando ab aliquo alio, *Protaſianæ* ſtirpis ſucceſſore reſtitui Divina poſſent) *Duobus* inſuper, è *Domina Iuſta* ſuſceptis, *Protaſii* Patris ſui *Filiolis*, fraterculis ſuis, paullò poſt nocte quadam in ſomno lectóque tyrannicè jugulatis. O, *Peſtiferi* & hîc *Peccatorum Mortalium fructus!* ô, *Amara* Dulciſſimi Domini, veríque *Dei, Derelictio!*

XII. Ibat autem *Protaſius* (ut, relicto jam filio *Michaële* ſceleribus ſuis, in Patre moremur ſolo) Ibat in exilium ac locum, dierum trium intervallo Surungâ, regiâ urbe, diſſitum; locum horridum & ſqualentem: & ibat quidem ipſo Sanctiſſimi *Paſchatis Dominico die*, quo omnis alibi Chriſtianitas in ſumma Spiritûs vivebat & incedebat lætitia; qui dies fuit Aprilis viceſimus ſecundus: *Vernus* aliis, & amœnus, & floridus, &, uno verbo, Paſchalis: *Hybernus* autem ipſi, triſtiſſimus, nubilus, & omni Cinerum die luridior. Tunc implebatur, quod loco *Fructuum*, Pomi *mortalis-Peccati* devoratoribus promiſerat, & comminatus erat, Deus per Amos prophetam; *Convertam Feſtivitates veſtras in Luctum: & Omnia Cantica veſtra in Planctum.* (*T.*) Tunc *Protaſius* lachrimans recordabatur, tum aliorum Paſchatum, à ſe quondam ſolemniſſimè celebratorum: tum vel maximè *Paſchatis* anni milleſimi Sexcenteſimi Tertij (de quo dictum eſt ſuprà) cùm ante novennium ſcilicet, *Sabbati Sancti* ſub Officio, Cantico ALLELVIA audito, lætitiâ ſenſúque Sancti Spiritûs exiliit; & omnia ſua laxari

Protaſius, & Daiſachius.

laxari tormenta bellica mandavit; IN DESPECTVM IDOLORVM*!* qui nunc (proh dolor! proh, rerum humanarum inconſtantiam.!) felicitatis priſcæ folio ventóque commutato, factus ipſe fuerat DESPECTVS IDOLORVM, & Idola-colentium. Sed non tamen idcirco collapſus eſt animo: neque, levium more, vacillans in religione, titubavit. O, Dei miſericordias inexhauſtas! O, memoriam, impenſi ſibi quondam honoris, apud Superos fidelem ac tenacem! Si diu quis bene piéque vixerit; & æternæ Majeſtatis gloriam pro viribus ſuis promoverit: poſtea verò mortali labefactus infirmitate, collapſus ſit; dum modò (*ſicut Serpens, Caput*) ſic ipſe FIDEM ſanam conſtantiſſimè teneat, nolítque Patris ac Domini cœleſtis per omnia penitùs oblivisci: is talis ſæpe, præteritorum *Operum Bonorum* intuitu recordationéque, reſpicitur tandem *à Patre Miſericordiarum*: ſicut ſcriptum eſt, ac dictum ex ore Prophetæ Jehu, regi *Ioſaphato* (quod idem planè cadit in *Protaſium*, ſuo modo) *Impio præbes auxilium* (Saſyoio, in expugnanda Lſitanorum Onerariâ) *&* *his, qui oderunt Dominum* (Daifusámæ, proneptíque ejus, Fimæ) *amicitiâ* (& Affinitate) *iúngeris*: *& idcirco, Iram quidem Domini merebaris* (quâ te projjceret in Sempiternum) *Sed Bona Opera* (quàm plurima, quæ ſuperiùs ennarravimus, aliáque plura) *inventa ſunt in Te*; *eò, quòd abſtuleris de terra Lucos* (Quadraginta Delubra idololatrica, ſub unum tempus & impetum; omnémque deinde Paganiſmum Arimenſem, & Tacacuanum.) (*V.*) *Reſpexit ergo Dominus miſericordibus oculis*, in illo ipſo egreſſu in exilium, *Principem* hunc, *Protaſium*: ut, licèt jam antea, paucas ante ſeptimanas, ſeſe

per totius vitæ Sacramentalem accuſationem recollegiſſet (velut dictum eſt) idem tamen multò ampliùs, ab eo poſtmodo Relegationis ſuæ die, deincépsque, ſe reſpiceret; Iniquitates ſuas damnaret: Dei vindicis Juſtiſſimam dexteram agnoſceret, laudaret, glorificaret: & Virgam, qua percutiebatur, oſculans, *Dei Providentiam* prædicaret; *Æquiſiſſimè* (dictitando) factum eſſe, ut eo die, quem omnium haberet *Eccleſia Chriſtiana* lætiſſimum, ipſe contriſtaretur extremè: qui, Dei neglectis legibus, & *Eccleſiæ Chriſtianæ* Statutis, Chriſtianitatem priùs ipſe contriſtaviſſet. Sed hîc, intrà pium hunc & ſalutarem animi Dolorem, non ſtetit *Protaſius*. Mirandiora fecit.

XIII. *Audite Cœli! & obſtupeſce, Terra!* Et vos, Peccatores ac Peccatrices, arrigite aures, ad Pœnitentiam *Exulis Protaſii*. Vos quoque Chriſtiani omnes, *Europæique* maximè *populi*, & urbes: diſcite fervorem; diſcite Pœnitendi modum, diſcite Bonorum Operum reſuſcitationem: ac Religionis ſanæ perſeverantiam, ad extremum uſque, imitamini; in exemplum vobis propoſito, hôc Populorum urbiúmque *Principe Iaponio*. Verè enim, verè, nec ſine dolore cordis intimo, dicendum eſt, cunctanter ac pudibundè; ſed, dicendum tamen. Multis in locis, urbibus, populis (nominatim nihil exprimam) pigri nimis, & frigidi; nimis ſomnolenti, nimis mortui, ſepultíque ſumus, *Europæi* nos, & in Chriſto Japonibus antiquiores. Dormimus, jacemus, exſpiravimus, Bonis in Operibus; in frequentatione Sacramentorum Confeſſionis & Synaxeos; in ſollicito ſtudio Lucrandarum Indulgentiarum; In denſitate fréquentandarum ædium ſacrarum, In caſtigando, per Iejunia, vigilias, Cilicia,

Digitized by Google

cia, flagella, duritiémque ſtrati, corpore voluptuoſo. Quaſi verò nos ſoli *Peccata* non circumferremus! Atque utinam, utinam, non gravia ſæpè, non occulta & occultata plurimorum annorum! Ac nos quidem, *Suecum* antehac militem, & belli turbas, paſſim in *Germania* noſtra cauſſabamur; quò minùs vacare Saluti animæ ac Divinis, tantâ Perfectione & frequentiâ, poſſemus. Hoc, *Pallium* erat *Deſidiæ* noſtræ. *Nunc, In Pace ſumus, & ecce!* multis in locis, oppidis, urbibus, populis, facta eſt *Bello, Pax longè ſomnolentior.* nihilo plus nunc agimus in *Bonis Operibus*: immò, Aliquantò etiam minus, quàm ante hæc pacatiora tempora. Exſuſcitemus! (agè) ſtimulemúſque alter alterum, vir virum, fœmina fœminam, urbs urbem; per hoc præſertim Iejunii *tempus Acceptabile*, per *Dies* hos *Salutis*, incipiendo novo cum fervore: &, ſi modum neſcimus, *Protaſii* Principis & Exulis intueamur ad Pœnitentias ingenium: qui, meo judicio, vix *Davidi* ipſi in Pœnitentia ceſſit; nedum alicuj noſtrûm, ex ſomnolentis.

XIV. Ut primùm enim venit ad *Exilii locum*, *Yamúra* dictum, in *regno Cai*, ad radicem altiſſimi montis: licèt omnes ferè, qui familiariùs eum noverant, pro eo in metu eſſent, ne is ſibi fortaſſe *Iaponiorum Stultâ generoſitate* vitam abſecaret, inter tot & tam ingentia mala (quoniam *Protaſius* fervidi erat, ac ſeipſum frequenter non ſatis regentis, Ingenii) tamen contrarium porſus uſuvénit. Totus enim, Virum in alium, mutatus eſt; hoc eſt, *in meliorem hominem, in peſſima quamvis fortuna.* Cauſſa magna mutationis, ſanctiſſima ipſius uxor, JUSTA, fuit, annorum tunc ætatis triginta trium; ac tredecim, haud ampliùs, *Neophyta*: ſed vete-

Protaſius & Daiſachius,

ranâ quâvis in virtutibus exercitatior. Hæc mulier; Viro ſuo multorum animæ bonorum cauſſa fuit & origo: Ut manifeſtè videamus, verum id eſſe; quod vulgò dicitur, *Fieri ſæpenumero*, *ut Diabolum ſibi quis coniugio ſociet*; *ſæpe itidem*, *ut Angelum*, *in uxore*: &, *quemadmodum multis Fœmina fieri ſoleat Inferni Via*; *ſic nonnullis viciſſim*, *divino munere*, *Paradiſi eſſe Ianuã effectam*. *Divino* tamen (ut dixi) *munere*. *A Domino namque propriè Vxor datur prudens*, ait Spiritus & Scriptor Sacer. (*X.*) &, *Gratia Super Gratiam*, *mulier Sancta & Pudorata*. (*Y.*) *IVSTA* igitur, *Protaſii* vxor (ut ad eam revertatur Oratio) per omne tempus illud, quod inter vigeſimum ſecundum Aprilis, & quintum Junii interceſſit, maritum ſuum induxit, ſuis tum cohortationum, tum exemplorum ſtimulis, ad Precationes aſſiduas: *Iuſta*, ad frequentem Libellorum Spiritalium lectionem; inprimis autem eorum, qui de Dominica Paſſione conſcripti erant: *Iuſta*, ad creberrimas Peccatorum ſuorum meditationes & examina: *Iuſta*, ad omnem, omnis Calicis (etiam præterito Amarioris) exſpectationem, à manu Domini. Quid multis? IVSTÆ ſuæ potentiſſimis efficaciſſimíſque verbis exſtimulatus *Protaſius*, petiit ab ea ſenſim, (utpote Secretorum illius plurimorum vel maximè conſciâ, per annos Conjugij tredecim) *ut*, *Quæcunque ipſa hucuſque Delicta deprehendiſſet in marito*, *ea referret in Commentarios*. Paruit illa, comportavit, retulit, conſcripſit. ac Protaſius Librum illum, conjugis ſuæ manu fidâ factum & abſolutum, legebat aſſiduò (Quis ſimilia vel fando audivit unquam?) & ad ſingulorum lapſuum ſuorum lectionem, ſingulos Pœnitentiæ & Contritionis exercebat actus: ac, ſiquam

Protaſius, & Daiſachius.

Digitized by Google

ſiquam ulli vel iuſſiſſet contumeliam, vel intuliſſet injuriam, reſtitui curabat, tam in fama bonóque nomine, quàm in facultatibus, optimâ fide reſtituendis. Quod idem & *Patribus* jam antea diligenter & abundè præſtiterat; quibus (ut dictum nuper eſt) in illius *Onerariæ Luſitanæ* expugnatione, nutrimenta ſua perierant. (Z.) Dolebat præterea, flebátque vehementer; Peccatis factum ſuis, ut nunc, veluti *Reus* potiùs puniretur, quàm, ut, ceu *Chriſti Martyr*, *à Daifusáma perſequente* moriens, elueret Peccata ſua Sanguine, in *Fidei* generoſa *Confeſſione*. Nominatim autem, & ante omnia, Luſitanorum expugnatam ac deletam Onerariam, & filii Michaëlis mutatum adulterio Conjugium, tanquam Orbi toti ſcandaloſiſſimum, unà cum ipſius à Chriſtianiſmo defectione, lachrimis amariſſimis exſecrabatur. Quid (oro te) quid potuit, aut quid debuit, ultrà facere Perſona Princeps, pro *Peccatis* ſuis *mortiferis*, quæ nunc tepidi multi vix uno dignantur expiare Roſario? *Protaſius* autem per tot dies, & hebdomadas, acerrimam exercuit Pœnitudinem. & necdum tamen ſatisfecit. Non ergo? (inquis) non placavit Cœleſte Numen? Nondum, chariſſime, nondum per Omnia. *Culpam* (quod ſæpius dico, proximéque è Divo Thoma Aquinate docui) *dimittit ſæpe Deus*, in *Mortali*: non *remiſsâ ſtatim omni Pœnâ*. Rapiendus ad Pœnam graviorem *hic Protaſius* erat; ne raperetur *illic* quondam ad Sempiternam.

XV. Ecce namque! *Michaël* Filius, ac *Fime* pellex, veriti, nequando Patri Soceróque Protaſio *Daifusáma* Imperator, propter egregias viri dotes; propter veterum in ſe meritorum, quibus ab eo fuerat adjutus ad Imperium occupandum, memoriã;

pro-

Protaſius, & Daifachius.

propter aliorum denique preces interpoſitas, exilii gratiam faceret, eúmque in avitas provincias & Arimenſe regnum reſtitueret: nefandiſſimè initâ cum *Saſyoio*, Gubernatore Nangaſaquiano, conſpiratione, apud *Daifusámam* communibus ſtudiis ac ſollicitationibus allaborant, inſtant, urgent: ut is è Vita celeriter INQUIETUM HOC (ut loquebantur) CAPUT, per Sententiam internecinam, tolleret. O, ſceleſti! ô viperæ! Hoc, hoc videlicet, aut hujc non multùm diſſimile quiddam, & Vos à filiis aliquando veſtris (ô parentes indulgentes) reportabitis: quibus omnem nunc animi ſui libidinem, & nullam ſeverioris educationis diſciplinã, præſtatis. ab iis (inquam) ab ipſis iis, vel in hac, vel in altera vita, vel in utraque forſitan (quod bonus Deus avertat) occidemini. Hæc *gratia* erit *Lupini catuli*, à fatua *capra* tam indulgenter *nutriti*; ſicut in veteri Græcorum adagio jactabatur. Imperator porrò *Daifusáma*, conſenſit tandem, & acquievit eorum poſtulatis. Jubet necem, procùl abſentis, & horum omnium ignari, *Protaſii*.

XVI. Junii Quinto die, qui anno illo milleſimo ſexcenteſimo Duodecimo, incidit in diem Martis poſt *Rogationum Hebdomadam*, ſeu, *Infra Dominicam Aſcenſionis* per noctem totam itinere deproperato, primo diluculo veniunt, Gubernator urbis Yamúræ, & Gubernatoris Meacenſis filius. Hi militibus pluſquam centum & quinquaginta *Protaſii* Principis & Exulis domum, in qua conductò hoſpitabatur, cingunt. Per internuntium *Protaſio* Duo Gubernatores denuntiant, uti, Japonum Magnatum more, ventrem ſibi ſuum ilicet diſcindat; niſi Capitis ignavo ſupplicio malit affici, dextrâ & gladio alieno. *Sic Iubere Daifusámã: ſic imperare.*

Protaſius,

Digitized by Google

Protaſius, ſtrepitu primùm, ædes cingentium, experrectus; continuóque veſtitus & progreſſus, auditâ, quâ minimè cogitare debuit, horâ, ſuæ mortis, & interitûs tam feſtini, denuntiatione: non modò territus in nullo eſt, ſed, Oris & vultûs ſerenitate magnâ (ceu *pectus bene præparatum*) dixit; *Sibi, (tanquam homini, ad ultimum uſque Spiritum in Chriſto perſiſtere certiſſimo, & obfirmato) fas nequaquam eſſe, ſecare ſuapte manu ventrem. quantumvis alioquin animus, ad tale vulnus imperterritus, ſibi non deforet. Alio ſe tamen modo, eóque præſtantiore, ſatisfacturum Imperatoriæ condemnationis Sententiæ.* Eo cum reſponſo, præſtolari tantiſper juſſis Sententiæ exſecutoribus, ipſe familiam ſuam omnem convocat: quid *Daiſusáma* juſſerit, impavidus aperit: famulos hortatur omnes, ac rogat; In exſecutores ne tumultuentur: eóſque, ne id facere ullo modo poſſint (invitos licèt, ſed tamen obſequentes) arma ſua tradere omnia gubernatoribus Duobus compellit: unicâ ſolâ ex omnibus retentâ ſicâ. Petit deinde moram temporis aliquam, in præparationem ad obitum Chriſtianum: eáque non difficulter impetratâ; prælegi ſibi jubet, ex Evangelio, *Dominicæ Paſſionis* univerſam *Hiſtoriam*, cunctanter, attentè, devotè. *Contritionis* deinde, quàm poteſt, intenſiſſimos elicit, ac tenerrimos, *Actus*: & quia Sacerdotis, cuj peccata fateretur, copia nulla vel facultas erat; cùm ei *Daiſusáma* Patrum Omnium alloquium omne, in perpetuum, abſtuliſſet edicto ſuo: quò tamen *Confeſſionem* quoquo pacto ſuppleret (attendite, quæſo, dilectiſſimi, ſicut facitis; & obſtupeſcite!) coram Imagine quadam Pia, *Protaſius* in genua dejectus, palàm, & coram famulis triginta quinque, coram

JUSTA, chariſſimâ Conjuge, corámque Conjugis gynæcéo, verbis claris, & altâ voce, confiteri incipit *Singillatim*, *particulatimque*, cum ſpecie ac numero, *Graviora quæque* (quæ quidem tunc occurriſſent ei) *totius vitæ Peccata Mortifera*. Deinde ſeſe convertens ad famulos, veniam ab omnibus, ac ſingulis, demiſſiſſimè petit, omnium in eos offenſarum: omnibúſque collachrymantibus, & nemine penitùs, nec viro, nec fœminâ, præ fletu ſingultúq; promere ſermonem, aut reſponſum mutuũ, valente: circumfert ipſe manu ſuâ ad Singulos *Poculam Benedictionis ſupremum*: à Juſta Conjuge incipiens, ad ſervulorum omnium noviſſimum: Ethnicis, qui inter hæc & ipſi intrârant ſpectabántque, lachrymas non tenentibus. Ipſe autem imperterritus, ac genis oculíſque ſemper ſiccis, in ſtoreæ (quâ cœnationem illam capacem inſterni juſſerat) Summitate ſeu capite, *Crucifixi* piam *iconem* ſtatui mandat: & utrimque Cereos duos accenſos, ad latera. Poſt hæc, accedens animosè, thoracem ipſe ſibi detrahit: collum nudat, & ad ictum aptat. Quoniam autem apud Japonas honorificentius eſt Magnatibus, ab eo decollari, quem ipſimet ſibi decollandi ſeligunt, quàm à miniſtro Juſtitiæ publico: deſignat *Protaſius* è famulis unum quempiam, cui ſicam illam relictam aſſervârat: eique, multùm invito, deprecanti multùm ac detrectanti, præcipit; *ut Imperatoris & Gubernatorum mandata exſequatur*. Flectit, in hæc, denuò genua; meditatúrque temporis aliquantillo ſpatio. tum, ſigno tandem (ſicut inter eum, ac percuſſorem, convenerat) manu ſuâ dato, Capitéque inclinato, obtruncatur à famulo, ictu non plus uno. Quid Domina JUSTA? quæ ſemper ad omnia hæc præſens adſtiterat,

ſtiterat, eúmque ſermonibus piis inflammârat. Caput *Protaſii* conjugis, humo ſuſtollit; id, cruore licèt copioſo ſtillans, tenerè primùm deoſculatur. deinde, cùm illud cadaveri ſuo reſtituiſſet, & collo redaptâſſet; in thalamum digreſſa connubialem, ſe de reliquo lachrymis, amoríſque caſti laxatis habenis, impendit. Ab eo verò temporis articulo, capillis ſibi reſectis ac deraſis, mundo valedixit: Chriſtóque ſoli vivere, jam tota cœpit, & indiviſa.

XVII. Hic Exitus fuit, ſanè Tragicus, *Arimani* quondam *Regis*, & Tacacuani Principis, *Protaſii*: cujus Egregias primùm *Virtutes*: Enormia deinde *Peccata quædam*: poſtea, *Pœnitentiam admirabilem*: ad extremum, *Peccati mortalis Peſtiferos Fructus*, Apoſtaſiam Filii, Chriſtianitatis everſionem non exiguam, & Capitalis Supplicii Pœnam Temporalem, ſpectavimus. Quam *Pœnam Temporalem*, incurrere (dilectiſſimi) quivis poteſt eorum, qui *Delicta Gravia*, quæ nunc hominibus Occulta ſunt, ne Pœnitentiâ quidem maturrimâ delere volunt: ut, Injuſtè parta, nefariéque Retenta; Inceſtus, Adulteria, Diabolo juratam Servitutem, & his ſimilia diſſimiliáque. *Nihil* enim (mihi credite) *nihil Opertum, quod non* aliquando *reveletur*. (*AA*) Et *quibuſdam* Hominibus (aliter nunquam ad Cor & Pœnitentiam reſpecturis) *neceſſarium eſt, ut Nefas* ejuſmodi tandem *reveletur*: ut vel ſic demum, Viâ Supplicij publici ſupremíque, perducantur ad Peccatorum ſuorum Salutarem expiationem: *qui aliter utiq; ſalvi nunquam eſſent futuri*. Tempeſtivè igitur deleant lachrimis; ne delere Peccata Sanguine ſuo cogantur. Ad *Protaſium* quidem quod attinet: Credo ego pro certo (quantum aſſequi Conjectura nos ſinit humana) *Filium eſſe*

Protaſius, & Daiſachius.

Digitized by Google

eſſe Beatitudinis æternæ tum ob inſignia quondam illius in Eccleſiam Chriſtianam merita; tum verò maximè, propter ejus inauditam Pœnitentiæ magnitudinem, & incredibilem de Arimenſi regno (ne rurſus à Chriſto ſub Michaële, filio apoſtatâ, deficeret) metum, dolorem, & ſollicitudinem. Et licèt ei Deus aliquando per noctem, ac ſecundùm quietem, non ſecus, ac Salomoni quondam, (*BB.*) apparens, anno Salutis milleſimo quingenteſimo nonageſimo, hoc eſt, viginti duobus ante mortem ejus annis, dixerit (*C C.*); *Quare Crucem in finibus tuis, manu non humanâ factam* (quæ paulò pòſt reipſa inventa eſt, in arbore quadam prodigioſâ) *Si Bène vixeris, illius ope Te ac Tua tuebor: Si Contrà feceris, Te, ac Tua, perdam!* (quæ, opere poſtea completa, manifeſtè, monſtrârunt, vaticinio quoque divino teſte; *Peccata mortifera à Deo, etiam hac in Vita, Mortis temporalis ac violentæ caſtigari pœnâ ſolere*); verba tamen ea de *Præſenti* tantùm Perditione Interitúq;, non etiam de *Futuro* ac Sempiterno, jure merito interpretamur. cùm præſertim, ſub primam facem illius ipſius noctis, qua *Protaſius*, inſigni militum ac ductorũ comitatu, ſepultus eſt, auditæ ſint tum à J V S T A, *Protaſii* ſanctiſſima Conjuge, tum à famulo decollatore, pluribúſque Chriſtianis aliis (*D D.*), voces Alumnorũ ac Sacerdotum, *Vigilias* concinentium funebres, & exſequiarum ſolemnia Carmina perſonantiũ; quibus *In Pace Requiem* Defunctis apprecamur: cùm tamen, eo toto in *regno Cai*, provinciáque, in qua exulârat & occubuerat, nec unicus quidem *Sacerdos* eſſet, aut *Alumnus*. Angelos igitur, hos fuiſſe, crediderim; *Sacerdotum & Alumnorum* ſimilitudine circumpoſitos. Angelorum cenſuerim voces illas,

Protaſius, & Daifachius.

illas, *in Paradiſum Animam* Protaſii Pœnitentem, *deducturientium*: ac Presbyterorum, & Seminarii Juvenum, cantus exprimentium; eò, quòd & ipſe quondam (quod nuper memoravi) Sacerdotes, Fratres, & Seminarii alumnos, *Centum quadraginta ſex*, receperit. Cujus proinde Spiritus conquieſcat in tabernaculis Juſtorum!

XVIII. Nos tamen nihiloſecius Omnipotentem, & Omnia diſponentem, Deum, in hac univerſa *Protaſii* Tragœdia, revereamur (dilectiſſimi) paveamúſque, & agnoſcamus, humillimè, tanquam eum, de quo per Davidem jam olim verbis, expreſſiſſimis æquè grandiſſimíſque, ſit dictum; TERRIBILI, & EI, QVI AUFERT SPIRITUM PRINCIPUM (propter *Peccata* eorum; ſicut & *Saul mortuus eſt, propter Iniquitates ſuas*) TERRIBILI, APUD OMNES REGES TERRÆ. (*EE.*) Cuj nos proinde, ſuis *in Iudiciis* ſemper *æquiſſimo* conſummatiſſimóque, & *ſine Perſonarum acceptione iudicant*, ſeriùs otyúſve, ſecundùm uniuſcujuſque Opus! Serviamus corde Perfecto ſemper; *corámque eo in Timore, incolatûs noſtri tempore, converſemur* (*FF.*): ne, qui Regi, Principi, Eccleſiæ Summo Benefactori, non pepercit *Peccanti*; neque nobis forſitan, Paria multa facientibus, & admodum tamen Impariter pœnitentibus, conniveat; aut impunitas Iniquitates noſtras diſſimulet.

TESTIMONIA.

(A.) *Anno Christi* 1609. (B.) *Nicol. Trigautius, capite* 8. *Annuarum Iaponiæ.* (C.) *In Moralibus,*

Digitized by Google

bus, *apud Thomam Hybernicum*. [D.] *Cauros in Annalibus anni* 1603. *paginâ* 21. *Editionis Moguntinæ*, *in* 8. [E.] *Deuteronom.* 16. *verſ.* 19. [F.] *Aliter*, *Conzuchidónus & Cazuchedónus*, *& Conquiedónus : immò & Coſuquedónus*, *apud diverſos auctores nominatus*, *reperitur*. [G.] *Iſaiæ cap.* 1. *verſ.* 23. [H.] *Geneſis cap.* 27. *verſ.* 38. [I.] *Nicol. Trigaut. in Appendice Annuarum* 1612. [K.] *Idem*, *libro* 1. *Triumphor. Iaponic. capite* 10. [L.] *Vide eundem lib.* 1. *Triumph. cap.* 5. *& in Annuis* 1612. *Item*, *in Appendice Annuarum*. [M.] *Matthæi cap.* 3. *verſu* 7. [N.] *Iſaiæ cap.* 9. *v.* 21. [O.] *Nicol. Trigaut. lib.* 1. *Iapon. Triumph. cap.* 5. [P.] *Idem*, *in Appendice Annuarum pagin.* 176. *edit. Auguſt.* [Q.] *Paginâ* 290. *editionis Moguntinæ*. [R.] *Ieremiæ cap.* 2. *verſ.* 19. [S.] *Trigaut. in Appendice Annuarum* 1612. *pag.* 284. [T.] *Amos cap.* 8. *verſ.* 10. [V.] 2. *Paralipom. cap.* 19. *verſ.* 2. [X.] *Proverb. cap.* 19. *verſ.* 14. [Y.] *Eccleſiaſtici cap.* 26. *verſ.* 19. [Z.] *Trigaut. in Annuis* 1609. *cap.* 5. [AA.] *Lucæ cap.* 12. *verſ.* 2. [BB.] 3. *Reg. cap.* 9. *à verſ.* 3. *&* 10. *Et cap.* 11. *à verſ.* 9. *& ſeqq.* [CC.] *Nicolaus Trigaut. Triumph. Iaponic. lib.* 1. *cap.* 10. *in fin.* [DD.] *Idem ibidem*, *ante fin.* [EE.] *Pſalmo* 75. *verſ. ult.* [FF.] 1. *Petri cap.* 1. *verſ.* 17.

Peſtife-

Protaſius, & Daiſachius.

Peſtiferorum Peccati Mortalis Fructuum,

EXEMPLVM TRAGICVM. III.

CASTELPERSIA

Peccata Mortalia FRVCTVM progignere, MORTEM VIOLENTAM (extra Iuris Viam) eámque in Flagranti Delicto, migrationique Chriſtianæ penitùs impræparatam. Cum aliis quibuſdam venenoſis adiunctis Fructibus.

Dictum 5. Martii, ſeu Dominicâ II. Quadrageſimæ, Veſperi.

I. MORS *Protaſii*, Regis ac Principis Arimani, violenta, à Gladio Juſtitiæ; probroſa quidem fuit *Mortalium Peccatorum* Pœna. *Pauli* verò *Daifachii*, multò probroſior, ab Igne: quia magis in conſpicuo, diéque Sanctiore, tanquam in deſpectū *Benedictionis Ignium* Eccleſiaſticæ, Chriſtianorum oculis ingeſta. Fuit quoque parùm admodùm Mors utriuſque Japonicæ Chriſtianitati, coràm Idololatris, honorifica; propter Mortis cauſſas, & vitæ in quibuſdā perperam actæ rationem, *Chriſtianæ vocationi* minimè ſpecioſam ac reſpondentem: dicente S. Petro (*A.*) præcipientéque; *Nemo veſtrum, patiatur ut Homicida, aut Fur, aut Maledicus aut Alienorum appetitor.* ſicut ſanè *Protaſius* & *Daifachius*, paſſi ſunt. Interim tamen utriuſque MORS,

Digitized by Google

in eo ſaltem feliciſſima fuit: quòd & temporis ad pœnitendum ſatìs utriq; conceſſum ab interfectoribus eſt: & ipſi, conceſſo præclarè ſunt uſi: *de Suo Summo in terris Malo, Summum* (quod quidem contingere lapſo queat) *Bonum reportantes*; Contritionem, inquam, de Peccatis, & Publicæ Pœnitentiæ Illuſtres Actus. Ideóque minùs jam illorum eſt lugenda, *Peccati Mortalis* Pœna, *Mors Temporalis*: quòd ambo Mortem (ut piè meritóque credi poteſt) effugerint Sempiternam.

II. Sed illa (dilectiſſimi) illa, illa Luctu lachrymíſque jugibus digna MORS eſt! ille, *Peccati Lethiferi Peſtilens* & indigeſtibilis *Fructus*: Interitus, (ajo) qui & ipſe violentè, ſicut *Paulo Protaſióque*, infertur: & ob Delicta non minùs gravia, quàm *Pauli Protaſiique* fuerant, infertur: & (quod eſt, eſſéque debet, formidandorum omnium formidabiliſſimum) infertur, ad felicem è vita migrationem impræparatiſſimis: utpote Peccatoribus inflicta Peccatricibúſque, in flagitio etiamnum vigente deprehenſis & occupatis, aut ab eo ſaltem recentiſſimis: cùm tamen etiam, quibus Peccata talia longiſſimè, pridémque in odio ſunt, & homines, pietati cæteroquin dediti, queîsque temporis & ſpatii ſatìs eſt ad præparandum ſe felici Immortalitati, toto pectore contremiſcant, priuſquam hinc è vita exeant: nemóque vel ſe vel alium (ſecluſa revelatione) *Securum* hinc exire, etiam magnas inter virtutes, & præparatione mortis optimâ præviâ, prædicare poſſit. Quid fiet igitur, ô, quid fiet, non modò negligenter, ſed etiam peſſimè flagitioſiſſiméque diſpoſitis ad animæ impœnitentis egreſſum! Ad quem proinde tam exitialem *Peccati Mortalis* avertendum *Fructum*, ab omnibus bonæ mentis Chriſtia-

Caſtelperſia.

Chriſtianis, hoc tempore, præteritáque proximè ſeptimanâ, tam ſollicitè precabatur, ac ſuos exhortabatur filios, *Sancta Mater Eccleſia*, verbis iſtis; *Emendemus in melius, quod ignoranter peccavimus*; (quantò magìs igitur, quæ ſtudiosè, quæ ſcienter, atque deditâ operâ?) *ne Subitò praeoccupati die Mortis, quaeramus ſpatium Pœnitentiae: & invenire non poſſimus.* (B.) quo ſanè pacto *praeoccupati* fuerunt, à *die Mortis*, tum alii paſſim innumeri, priſcis ac recentioribus in hiſtoriis: tum verò præcipuè TRES hi noſtratis ævi Sæculique, de quibus ſequens inſtituetur hodie narratio. In qua quidem clariſſimè relucebunt, tum alii complures *Peccati Mortalis Peſtilentes* & Amari *Fructus*; tum verò imprimis VIOLENTA MORS, Impræparatis & Inemendatis, propter *Flagitium Mortale*, in ipſo facinoris adhuc vel flagrante vel ſcintillante affectu, illata.

III. Superioris de *Protaſio Daiſachióque* narrationis auctores enumerare Charitati veſtræ prætermiſi; propter eorum multitudinem: cùm nullus unus ac ſolus *Protaſianam* conſcripſerit Hiſtoriam: ſed *viginti quinque* minimùm *Annua* diverſiſſimorum fuerint Scriptorum evolvendæ: tametſi Mortem *Trigautius* ſolus unúſque ſit proſecutus. At hodiernæ Narrationis auctor propemodum Unus unicúſque eſt, ac de plano numerari facilis; quíque (quod equidem ſciam) hodiéque in vivis eſt, Vir Magnus, *Gabriel Bartholomaeus Gramondus, in Sacro Regis Chriſtianiſſimi Conſiſtorio Senator, & Curiae Toloſanae Praeſes*: qui eam exactè gravitérque (ſuo more & cothurno) deſcribit, *libro Hiſtoriarum Galliae Secundo*, à pagina Centeſima quadrageſima, *editionis Toloſanae*. Exſecutus quidem ante hos annos

Caſtelperſia.

Digitized by Google

annos eandem eſt & *alius Scriptor Gallicus*; ejúſque è Gallico in ſermonem Alemannicum trajector *Germanus quidam*, haud incelebris alioquin (Acatholicus tamen) auctor. Sed uterque neque nominibus uſi genuinis ac veris ſunt, in deſcribendis Tragœdiæ hujus Perſonis actricibus: & *veritatem* (quam *eſſe decet immaculatam*) parùm caſtè, parúmque ſine fabularum affigmentis, nævíſque, habere nonnullis viſi ſunt. Suſpicionéque ſaltem non omni carent: quorum tamen relationem ex toto repudiare, nefas duxi: quòd haud pauca, nec inutilia, nec adeò incredibilia, continerent; quorum noſter hic quidem mentionem non exprimit: & à fide tamen non abhorrent. In *Gramondo* tamen auctoritatis eſſe potiſſimus cardo debet; quem & idcirco ſequar propemodum ſolum, & in omnibus: quoniam is & Rem deſcribit, ſicuti geſta eſt, in Toloſæ urbis (in qua vivebat ſcribebátque) nonnullâ viciniâ: & locorum Perſonarúmque nomina (ſicut dixi) propria apponit: cùm cæteri duo Scriptores commentitiis ſolis & effictis vocabulis utantur. Obſecro verò Charitatem veſtram; ut nemo non eorum, qui Verbum Dei, laudatiſſimo ſuo more, cupidis auribus hauriunt (quòd facitis Omnes Vos) hodie quoque tàm atroci Tragœdiæ libenter animum, aures, tempus, ac devotionem, impendat. nec quemquam ab aviditate diſcendi deterreat; quòd fortè ſimiles eventus formidandos, jam antehac aliunde, priſcis aut novis, ex hiſtoriarum monimentis, perceperit. Plurimùm enim, à lectionis fructu, diſtat Auditionis utilitas; ac, vivæ vocis influxus, à mortui characteris in oculos illapſu. Propterea & Spiritûs quoque Sancti teſtimonio: *Audiens Sapiens ſapientior* futurus pronuntiatur: &, qui, quæ audit, *intelligere*

Caſtelperſia.

ligere ſatagit; animi ſui regimen & *gubernacula poſſeſſurus* prædicatur. (*C.*) Sed nunc ad rem ipſam & narrationem accedamus.

IV. Sub *annum Chriſti* eundem, quo *Protaſius*, ac *Paulus Daifachius* in Japone ſunt interfecti; Sæculi videlicet noſtratis *Duodecimum*: in Galliæ provincia illa, quam Aquitaniam nos dicimus, Galli Guyennam, haud procul urbe Epiſcopali *Monte-Albano* (Gallicè, *Montauban*) illuſtri vir genere vivebat, *Reyneſius* nomine (*D.*) in arce, ſeu Caſtello quodam, ſuburbano, nonnihílque à Garumna flumine, & nimia mortalium frequentiâ, ſepoſito. Is circa hunc ipſum annum, priore extinctâ conjuge, maximis in opibus, Puellam ſibi quandam nuptiis conjunxit, Octodecennium tunc primùm ingreſſam; genere *Vicecomitum* illuſtri progenitam, Viduæ filiam, ac formæ per Galliam univerſam prodigium & miraculum: cæterùm, educatam à matre, inſtructámque, in omni ſæcularis vanitatis ac lenocinii Venerei tirocinio; nominatim autem, in ſaltandi arte incredibili, verborúmque blandiſſimorum facundiâ. De Pietate (proh nefas!) de Orationis, & Pudicitiæ, ac Solitudinis, & Sanctimoniæ, ſtudio (quas virtutes in virgine Chriſtiana vel maximè Divus Paulus requirit, primæ ad Corinthios epiſtolæ ſeptimo capite) nulla fit ab hiſtoricis, in hujus Educationis narratione, mentio. O, mater! ô Vidua! jure merito ſuccenſeo tam tibi, quàm aliis omnibus, tui ſimillimis Viduis atque Matribus: quòd & vos Divini Pauli monitum tranſſiliatis, clamantis, ad Titum capite ſecundo, verſu quarto; *Anus. Bene-docentes* (non, malè ac depravatè) *ut Prudentiam doceant adoleſcentulas: non Stultitiam*, & Vanitatem hujus Sæculi. Quid eſt

Caſtelperſia.

eſt enim, (oro te) quid eſt aliud, Luxus veſtium, comptus capillorum, politura laſcivi vultûs ac frontis, chorearum ac Saltationum agilitas, affectata ſua viloquentiæ garrulitas, aut illa, (quam *aulicam* & *gynacei* vocant) ridicula multùm *urbanitas*? quid, inquam, aiud, quàm, *Vanitas Vanitatum*, &, Omnis Vanitatis mimica ſcena? (E.) *Fallax gratia! & vana eſt Pulchritudo. Mulier* (non Saltatricula, non loquacula, non geſticulatrix) ſed *Timens Dominum, Ipſa Laudabitur* (non alia.) Quid autem adeò mirandi fuit, *In moribus* Chriſtianis, nihil hujc Puellæ collatum â Matre; cùm ne Chriſtianum quidem *nomen* ei tribuerit Sanctæ cujuſpiam Virginis, aut Viduæ, vel Matronæ? quippe, quam in baptiſmo CASTELPERSIAM nominârit. niſi fortè (quæ talium Impudicarum eſt animi levitas) ipſa ſibi poſtea nomen hoc per figmentum indiderit. Cognomen autem erat, DE PANATO; gentilitium, ac vetus, &, Illuſtrium in Gallia *Vicecomitum*, celebre vocabulum. Hæc autem Puella, *fratrem* quoq; habebat, & ipſum *Vicecomitem*. ſtirpíſque ſucceſſorem; cujus equidem *Proprium* nomen apud Scriptores non reperio. gentilitio, & familiæ vocabulo, PANATIVM, nec aliter, appellat Gramondus: Iuvenem bello egregium; vitâ, multùm improbum.

V. Convivebant hi, quos dixi, novi Conjuges, *Reyneſius* & CASTELPERSIA; amantiſſimè quidem, ex parte Viri: frigidè verò paulatim, ex parte uxoris: tametſi *Filiolam* jam *Reyneſio* pepererat. Cauſſa frigoris, in amore maritali, ex parte *Caſtelperſiæ*, fuit iſta, quæ ferè eſſe ſolet in Omni Conjugum, cæteroquin non faſcinato, faſtidio: *Quòd Alium amabat* (immò jam olim amare cœperat)

Caſtelperſia.

rat) *Caſtelperſia*. Is erat & ipſe *Vicecomes* opulentiſſimus, ampliſſimæ familiæ, militiâ clarus, & loco habitationéque haud ità diſtans aut longinquus. Nomen ei, *Rapiſtagnus* (Idololatricum credas potiùs & hoc, quàm Chriſtianum: forſitánque & ipſum ab eo confictum) cognomen generis ac familiæ, *ViceComes de Paulino*. Quò fit, ut vulgò *Paulinus* tantùm, tanquam nomine *Proprio* (quod cognomen tamen potiùs & gentilitiũ eſt) appelletur. & talem eum nos quoque, ut plurimùm, appellabimus. *Paulinus* hic, jam olim *Caſtelperſiam*, adhuc innuptam, matríſque ſub educatione conſtitutam, deperire cœperat: & inter Procos licèt multos *Servitoréſque* (quos vocant) qui, Matre conſciâ, puellam aſſiduò frequentabant (*F.*), iſte tamen partes omnium primas obtinuerat: excepto fortaſſis tunc Fratre *Caſtelperſiæ* uterino, *Panatio* videlicet; *quem* (Gramondo teſte) *creditum vulgò fuit Sororiæ fuiſſe Libidinis Conſortem*. quem Amorem deteſtandum, veri ſimillimum eſt, inter eos à puerilibus jam puellaribúſque annis accenſum: & Inceſtûs horrendi tunc poſita rudimenta.

VI. *Duo*, hoc loco (dilectiſſimi) fœdarum *Abominationum* in orbe toto *genera*, deploro: &, ſi lachrymis id flumineis facerem, digna res eſſet. Harum *Abominationum Genus Primum* eſt in Mundo (cujus mihi *Panatius hic*, & ſoror ejus *Caſtelperſia*, memoriam ac dolorem movent) quòd in Educatione filiorum filiarúmque tam negligenter vulgò ſupinéque Parentes attendant; ut quàm maturrimè, ſtatim ac (ſi fieri poſſet) ab ipſis confeſtim incunabulis, fraterculos ac Sororculas cubilibus, & multò magis lectulis, ſejungant: ſexúmque ſimilem ſexui ſimili, maſculos maſculis, fœmellas fœmel-

Caſtelperſia.

his conſocient, in cohabitatione nocturna. Quò eodem pertinet: quòd iidem Parentes, ſi quando advertant filiorũ cum ſororibus,& harum cum illis, gliſcere paulatim commercium calidius ac vehementius, quàm eis honeſtas præſcribat, & Chriſtiana Sanctitas; non illico contubernia illa divellant: ac vix verbis paulò acrioribus nefas illud caſtigent (quod *Antonia* tamen Romana mulier,& idolorum cultui dedita, fecit *in Caio Caligula*, nepote ſuo, in *Druſilla* ſorore deprehenſo) nedum, ut verberibus illud domeſticis, & iuſtâ pœnarum ſeveritate deplectant. (*G.*) Quò fit, ut ex hac Abominatione, genitorúmque erga liberos conniventiâ, non ſanè rarò FRVCTVS enaſcatur, turpiſſimi, contráque naturæ fas omne militantis, Inceſtûs: cujuſmodi (tametſi in Sorore nequaquam uterinâ) fuit Amnonis cum Thamare. (*H.*) Pronaſcitur ex hac Abominatione, ſuámque trahit originem, Scelus illud, , & gravis illa, propter ſcelus grave, Dei, adversùs Peccantes, maledictio; per Moyſen in Deuteronomio expreſſa (*I.*) verbis his; *Maledictus, qui dormierit cum Sorore ſua, Filiâ patris ſui, vel matris ſuæ: & dicet omnis populus, Amen!* Enaſcitur ex hac denique (ſicut ſæpe ſanè factum eſt) dedecus familiæ publicum, dolor ærumnáque diutina parentum, ignominioſa horrendáque, de peccantibus ſumpta Supplicia; Domúsque, & generis totius, è Cœlo diræ, & exſecrationes.

VII. *Alterum* verò, quod deflendum dixi, *genus Abominationis* eſt: Sceleſtiſſima videlicet conſuetudo, Pravitáſque impuri Amoris; cuj Filiæfamilias vulgò, ætáſque juvenilis (& maximè puellaris) indulgent! ídque (proh nefas!) ipſiſmet ut plurimùm Matribus conciliantibus, approbantibus,

Caſtelperſia.

bus, adjutantibúſque: non raró etiam dictantibus, ſuadentibus, impellentibus, & in conclavia cum amatore concludentibus: ut minimùm autem diſſimulantibus, ſiquid à filiabus tale fieri animadvertant. Et hoc, tam apud plebejas, quàm interdum & apud nobiles illuſtréſque familias, ac vice verſa, vigere deprehendas. Quas matres mali hujus conſcientia contingit, eæ, quidnam dicam hoc loco, percipiant. *Matrifamilias*, apud rerum Ruſticarum Scriptores, *honorificum eſt*, & induſtriæ Signũ, Enutrire pullos gallinarum, pullos anatum, pullos Numidicarum, & Pavonum. Sed Thaidas, Laidas, Helenas, &, uno verbo, *Veneris pullaſtras* in Filiabus educare; permiſſum Matrifamilias nuſquam, multò minùs laudatũ, apud auctores reperio: quoniam lenonum iſta lenarúmque *ſunt*, & *meretricio quaſtui* ſtudentium. NIHIL eſt (inquit) in hac Filiarum *Amandi Conſuetudine Meretricium*: ſed, *Res Honeſta, res vulgaris, res ubiq; gentium ac populorum recepta: & uſque adeò, ut iam pridem nec Peccati nomine cenſeatur. Nugæ ſunt, Levitates puellares & iuveniles ſunt: nec æſtimandæ tanti!* Sic quidem *Mundus* immundus, *Ex ore Sathanæ* (nam, ex quo alio?) loquitur, atque ſentit. Sed ſecus *Spiritus Dei Sanctus*: qui & MERETRICIOS putat, hos tales mores; &, quas vos *Nugas* dicitis, & *Levitates pueriles*, iis graviter Deum cenſet offendi. Niſi namque mentis hujus, & ſensûs ac Sententiæ, eſſet; nunquam de *Procacibus* ejuſmodi *Filiabus* per os Eccleſiaſtici diceret (K.); *Super Filiam Luxurioſam confirma cuſtodiam*: arcendo videlicet Procos, & excludendo eos ſeris, oſtiis, repagulis. Niſi item *pro Peccato non levi* haberet procacitatem filiarum; nunquam tam graviter cautũ vel-

let

Caſtelperſia.

let earum intemperantiæ; cùm per eundem monet Eccleſiaſticum (*L.*); *In Filia non avertente ſe*, (nec fugiente congreſſus omnes diſparis ſexûs) *firma Cuſtodiam: ne inventâ occaſione, utatur ſe. Ab omni Irreverentia Oculorum* (ejus) *cave*! Nequaquam item tam graphicis exaggeraret verbis, mox ſubſequentibus, ejuſmodi puellarum protervitatem & incontinentiam: qua prædicit, Eas, *Sicut Viatorem Sitientem, ad* omnem *Fontem aperturas os ſuum*; &, quæ ſequuntur. (*M.*) Quibus profectò verbis vel inprimis Divinum verbum graviter & ſeverè in *fœdos hos Amores* (& ſolarum ad ſolos concluſionem) invehitur: eóſque notat, & interdicit, ac damnat.

VIII. Et *quantum* ergo *Peccatum eſt*? inquis. Ajo; Si eo modo tractentur hi *Amores*, & agitentur, quo modo jam Mundus iis paſſim utitur, quíq; Modus, cum explicatione ſua, potiùs ad Sacra Pœnitentiæ tribunalia, quàm ad Eccleſiaſtica pulpita, pertinet: *Plerumque eſſe Mortale*; propter Incontinentiam, & nimiam Carnalitatem. Ex FRVCTIBVS cognoſcimus Arborem. ſic & ex *Effectibus Peſtiferis Peccati genus*, & gravitatem. *Non poteſt Arbor bona* (inquit Salvator) *Malos Fructus facere* (*N.*) Sic neque Res tam Honeſta, quantam tu fingis eſſe, poſſet tam tetra *peſtiferáque Damna* procreare. Et, quæ *Damna* illa? Nempe, quæ Sanctus Paulus recenſet, inter *Opera carnis manifeſta*, quæque *à Regno Dei* excludunt. Quæ illa? *Fornicationem, Immundiciam* (per omne genus Contaminationis Quinque Senſuum) *Impudicitiam, Luxuriam.* Quæ præterea *Damna, Fructúſque peſtilentes* creat? Omne genus Innaturalia peccata: Animam, obſcœnis deſideriis ſemper, & cœno ſuo, lutóque

Caſtelperſia.

Digitized by Google

lutóque Carnis, occupatam, etiam inter Res Divinas: Oblivionem omnimodam Dei; Cœleſtium, & animæ negotiorum, Odium: Corporis innumeras commotiones deteſtabiles: Angulos & conventus, occultos: ac prohibitos: Facta, dicta, ſenſa, longè occultiora, magíſque interdicta: Repentinas tandem imprægnationes: Abortuum nefarias procurationes: Partuum illegitimorum parricidales Occiſiones, jugulationes, ſuffocationes, ſubmerſiones: Confeſſiones Sacramentales Sacrilegas, ac turpitudinum reticentiam: Synaxes indignas, & *Judicium ſibi manducantes.* Senſim deinde, Januam patefactam ad Diaboli *Aſmodai* inſidias, ſub Proci ſpecie ac vultu, multis millibus puellarum talium oblati; quibus illuſit, & impoſuit, eáſque *Suas* fecit. Indè Veneficia, magiam, gladium, rogum, difficilem in Supplicio Pœnitentiam. Inclinationem item, & transfugium, ad Hæreſim, Omnis Conſcientiæ bonæ repudium, exilium, naufragium. Adde tandem his omnibus, poſtquam cœlari tupitudo diutiùs ægrè, vel nullo modo, poteſt; Conjugium ſæpe qualequale, neceſſitate coalitum; cum mendicitate multâ cœptum; inter extremam egeſtatem ac deſperationem, continuatum; affectuum pronitate, ad exercenda quoque adulteria, ruptum frequenter, ac maculatum. In fine denique vitę, cataſtrophen longè miſerrimam, & Interitum, ſæpe tragœdiis per mundum ac ſcenis agitandum: quarum omnes plenæ ſunt, tam hodiernæ, quàm veterum, hiſtoriæ. Ex quibus omnibus ac ſingulis (quanquam nondum equidem *omnes ac ſingulos* enumeravi) *Peſtiferis Fructibus*, vides, dilectiſſime; Quàm *non leve Peccatum* (ut tu putas, ac jactas) quàm non *Nuga, réſque puerilis momenti*, ſint *Amo-res*,

Digitized by Google

res, eum in modum inſtituti, quo nunc inſtitui vulgò conſueverunt. Et tamen quotaquæque talium *Peccati* Granditatem, aut agnoſcere ſatis laborat, aut deteſtari, aut pro rei magnitudine Confiteri, deflere, & expiare? Sed hæc hactenus diximus, de *Duabus illis* Sæculi *Abominationibus*, occaſione matris & educatricis *Caſtelperſiæ*: quæ tam fœda Pericula Filiæ permiſit ſuæ: ex quibus hæc deinceps in Inceſtum (quod Fama credidit) ac tandem in crebram & aſſiduam Adulteriorum conſuetudinem, cæteráque, ex his enata mala, prolapſa eſt.

IX. *Paulinus* enim *Vice-Comes*, antiquæ cum ea familiaritatis & amorum memoriâ; flammam illius, ac deſiderium, etiam tunc repetivit, cùm ea jam *Reyneſio* per nuptias in manum conveniſſet. Nec eo contentus, inſuper *Caſtelperſiam* (non multùm, neque diu, repugnantem) ſollicitavit ad flagitium, ac thori ſcindendam fidem: ídque nictibus primùm & ſalutationibus, malè officioſis: pòſt deinde, per internuntios, litterulas reciprocas, pretioſorum munerum (ſicut prædives erat) ſubmiſſitationes. Ita mulieris lubricum animum parvo molimine celeriter evertit: facinúſque nefarium uterque longo ſatìs inter ſe temporum decurſu frequentârunt; quoties collibitum fuit. Ac principiò quidem aliquamdiu *Reyneſium* maritum ambo, peſſimo fraudis ingenio, fefellerunt: cùm, inventô ſcelesto, *Paulinus* ad Adulteram, vario diſſimulatus habitu, ventitaret in arcem & conclave *Caſtelperſiæ*: aliàs quidem perſonam indutus *Olitoris*; in horto caſtellano varia præſcripturi, peregrináſque arborum ſtirpes, ac florum plantas, apportantis: aliàs verò, *Pictoris*; cum tabulis, & Effigie variâ, venalibus. Quibus ille, aliíſque dolis

dolis ſimilibus, tametſi non adulteraſſet tunc nuptam alienam; mortiferè tamen ea ipſa fraude deliquiſſet, *Ob intentionis pravitatem*, qua *Peccatum* ſibi *Mortale* adulterii committendi deſtinaverat. de qua Intentionis *Lethali malitiâ*, videri Divus Thomas poteſt. 2. 2. quæſt. 110.art. 4. in Corpore: ubi inter cætera, quæ fuſiùs diducuntur; *à Sancto Doctore* verba ponuntur iſta. *Ex Sola autem Intentione Peccati Mortalis, aliquis mortaliter peccat.* Cæterùm *Paulinus* & *Caſtelperſia*, intrà *fraudulenta* ſolius *Intentionis* limites non ſubſtiterunt: ſed ulteriùs progreſſi, proruperunt in *opera*: Quotiéſque ſic diffictus, & à *Reyneſio* nequaqnam agnitus *Paulinus*, in arcem penetrâſſet; agnoſcebatur tamen à ſceleris conſorte: ibíque tum fiebant in *Occulto*; quæ poſtea Deus, arcanorum omnium aſpector, protraxit in *apertum*. Crevit autem illis è ſucceſſibus audacia: tantoperéque invaluit, ut, omni tandem abjectâ Perſonâ, *Rapiſtagnus mœchus*, & palàm, & perquam frequenter, in arcem, diurnus æquè nocturnúſque, ventitaret: ídque pet ſpeciem, viſundi vicini ſui *Reyneſii*. Erántque Sceleratorum amantium utrique, ad miniſterium inconceſſum pretio conducti, tum famuli fideliores, tum pediſequæ & ancillæ *Vaſa* (hoc eſt, Inſtrumenta) *Iniquitatis*, *Vaſa Contumeliæ*, *Vaſa Iræ*, *in Interitum*: ſicut Divus Paulus loquitur (O.) *Miniſtri Sathanæ*, miniſtræque Aſmodæi. Hi famuli famulæque, nullum non adulteris angulum, latebram, horam, occaſionem peccandi attemperabant: actíſque interim excubiis, diſpeculabantur, nequid intervenire poſſet impedimenti, vel deprehenſoris: *Reyneſium*, Dominum ſuum, aut divertentes aliò, vel ſermonibus ac negotiis excogita-

tis

Caſtelperſia.

Digitized by Google

tis diſtinentes. Quæ omnia, *Peccata* erant, *Venialibus Graviora*; veriſſimáque Inſtrumentorum Diaboli miniſteria: tametſi famulorum eſſent & ancillarum erga Dominos ſuos, *Paulinum* & *Caſtelperſiam*. Quibus ſervitiis, in illa die, *Dominus Dominantium* dicet, quod apud Divum Lucam (*P.*) ſe dicturum comminatus eſt; *Neſcio vos, unde ſitis: Diſcedite à me, Omnes Operarii Iniquitatis!*

X. Quâ peccandi (ſicut putabant) ſecuritate, tuteláque, veluti ſatellitum ac ſtipatorum, adulteros protegentium, eò demum Impudentiæ ventum eſt: ut *Caſtélperſia*, ſcelesti Cupidinis cæcitate demens, *Paulinum* non jam interdiu tantùm palàm (ut hucusque) ſed tandem de noctibus etiam, ſine diſſimulatione, ſinéque pudore, frequenter intromitteret, non ſine fragore reſerandarum arcis portarum; nec abſque tumultuoſa ſoporis abruptione: quâ *Reyneſium* dormientem interturbari neceſſe erat. Quid volumus ultrà, vel, quid exſpectamus? Cuj dubium eſſe de publica herilis lecti contumeliâ debebat? Quam adeò coram quibuſdam *Caſtelperſia* non diſſimulabat; ut arcana polluti tot modis lecti conjugalis obviæ cujvis famulæ, quæ modò idonea videretur) ac ſervulorum viliſſimis concredere nõ dubitaret: quæ Sceleris ac Turpitudinis myſteria neq; *Conſcientiæ* quidem *Iudici* (niſi ægerrimè) patefeciſſet. Tametſi, quid de *Conſcientia Iudice* loquimur? Mihi namque ſpurca *Mulier* hæc, toto hoc tempore, ad annum uſque milleſimum ſexcenteſimum decimum ſextum, vel nunquam omnino *Confeſſionis* obiiſſe *Sacramentum* videtur, cœno ſuo volutabróque defixa: vel ſiquando fortè, Paſchate recurrente, iuxta præceptum & legem Eccleſiæ, tribunal Sacrũ acceſſit, dicis & fallendæ famæ cauſsâ; ſiluiſſe

Caſtelperſia.

ſiluiſſe potiſſima crediderim, narrâſſe leviora: vel certè Sacerdotem quæſiſſe quempiam ex illorum numero, qui pro muneribus miſſilibus ac delenimentis gulæ, Clementiam, Diſſimulationem, & leviculas Pœnitentias, per nefas, ſine ſcrupulo venderet. Vel vagata deniq; eſt, ab alio ad alium, nulli interim *Confeſſariorũ Peccati* ſui *Conſuetudinem* & inveteratum uſum, ſed tantummodo *Peccatum ſimpliciter*, tamquam recentem lapſum, explicando. quo factum eſt, ut ab nullo juvaretur. Verè enim (chariſſimi) verè, nec per exaggerationẽ, dico: *Peccantium genus aliud nullum*, aut æquè vulgò *Vagũ* eſt; aut æquè Fallax & *infidum*, in aperiẽda plenè Animâ; quàm Venerei: niſi divinitus tandem emendentur. Et quidẽ, habuit hæc Mulier, in toties frequentato Flagitio, cauſſas crebrò Confitendi maximas ac graviſſimas; juxta *Toleti*, (2.) cæterorúmq; quorundam Theologorum, ſalutare conſilium ac Doctrinam, in materia *de Recidivis*: cùm id genus hominum (ejuſdem Toleti judicio) medio nullo tam efficaci, vel compendioſo, extricari queat à laqueis Sathanæ, relabendíque conſuetudine; quàm frequentiſſimo ſeriæ, ſynceræ, contritæque, & hujus quidem trinæ (ſi fieri poſſet) per hebdomadam, Cõfeſſionis apud unum eundémque Confeſſarium, uſu. Sive tamen Confeſſa fuerit hæc adultera, ſive non fuerit: &, ſive fideliter id peregerit, ſive ſecus: certè nunquam emendavit vitam impuram; ac nec animum quidem emendandi, cum efficaci propoſito, concepit. Quo caſu, quid (quæſo) quid proficit ad Salutem Finalem, *Pœnitentia Pars* hæc *Vna* (Confeſſio) cæteris excluſis? Quid, Orare, gemere, ſuſpirare, pectus tundere, coram ſacro Judice? *Inanis eſt* (inquit in Soliloquiis Divus Auguſtinus)

Caſtelpeſſia.

Digitized by Google

Pœnitentia, quam ſequens Culpa coinquinat. Et idem alibi; *Qui Pectus ſuum tundit, & non ſe Corrigit;* Peccatum *ſolidat* (fiduciâ ſcilicet, peractæ Confeſſionis, inutili) *non, Tollit.* Sed, ſive *Caſtelperſia* animum aliquando corrigendi ſui habuerit? ſive, nihil minus: cauſſas profectò maturandæ Correctionis, & emendandæ vitæ, magnas habuit ac ponderoſas: Impendentem videlicet cervicibus ſuis Interitum; & comminantem ſibi Vindicem Deum, per os Eccleſiaſtici (*R.*); *Non tardes Converti ad Dominum; & ne differas de die in diem: Subitò enim* (hoc eſt, cùm minimè exſpectas) *veniet Ira illius: & in tempore* (id eſt, maturitate, τῷ καιρῷ ἐυκαίρῳ) *diſperdet te.* In quem ſenſum & Pſalmus Dividis Septimus loquitur (*S.*); *Niſi Converſi fueritis, GLADIVM ſuum vibrabit: Arcum ſuum tetendit; & in eo paravit Vaſa* (hoc eſt, Inſtrumenta) *MORTIS*, temporalis & ſempiternæ. Quæ Dei comminantis verba, quo pacto tandem expleta factis & eventu ſint, ulteriùs (dilectiſſimi) ſicut hucuſque fecimus, cupidè audiamus.

XI. Duravit enim, ſtatus ille rerum, ad annum uſque Chriſti milleſimum Sexcenteſimum decimum ſextum. Ac *Reyneſio* marito, fieri jam olim ac dudum ſuſpecta res cœperat (qui enim poterat aliter, niſi planè cæcus, ſurdus, ſtupidus, ac bardus, eſſet?) non ſolùm è Conjugis erga ſe frigore; ſed longè maximè ex *Paulini Vice-Comitis* corrivali apud ſe ſuámque, diebus æquè noctibúſque, aſſiduitate. Verumtamen, *ut vir Prudens*, ad animadverſionem triſtiorem progredi tantiſper noluit; quoad, de Fide thalami convulsâ, liquidò & indubitatò ſibi conſtaret. Porrò autem, ſic Permiſſu Divino res humanæ ſæpe contemperantur; ut ii ipſi, qui quondam

Caſtelperſia.

dam inter ſe Sceleris alicujus Societatem, aut conſcientiam, aut miniſterium, coierunt (putà homicidii, ſacrilegii, falſi teſtimonii, furtorum, ac furtivarum rerum diſtrahendarum, ac ſimilium diſſimiliúmve Scelerum) tandem ex Pace ſummâ repentè mutuis litibus, rixis, aut odiis, diſcordent; altérque alterum ponat in luce & aprico: ſic, ut Flagitia prodant illi ipſi, qui vel maximè cooperati fuerant, ac tacituri videbantur: complicémque ſub cultro ſinant hærere. Quod & in hac *Caſtelperſiæ* cauſſa, jam ad interitum vergente ſuum, evénit. Fama eſt, in quendam è *Servis Conſciis* Dominam aſperiùs aliquando, ſive verbis ſolis, ſive etiam verberibus, animadverti (neſcio, quod ob delictum) juſſiſſe, vel ſuiſmet ipſam objurgationibus, aut manibus, animadvertiſſe: quam meminiſſe decuerat Pacti fœderíſque, quod ipſa fecerat & inierat cum morte (*T.*) cúmque hoc Inferni miniſtro. Hîc *Servus*, occaſione raptâ, ſilentióque quod *Caſtelperſia* quondam addixerat, rupto; provolat ad herum *Reyneſium*: aperit omne facinoris miniſterium; omnem diuturni ſceleris ordinem ac progreſſum: veniámque, quam rogabat, impetrat; & fidem, quam debebat, ínvenit. *FIDEM* (inquam) *narrationis*, de Flagitio Uxoris, (ſuper omnes fœminas *Reyneſio* dilectæ) *reperit* famulus index, apud herum ſuum; tam multa geſta præterita, cum præſenti ſervi hujus narratione, conferentem ac trutinantem.

XII. Non enim fuit *Reyneſius* hic, ex eorum numero maritorum, qui penitùs Uxorii, de Conjugum ſuarum, etiam publicè decantatis vitiis, nihil audire prorſus volunt; ſed continuò, Tacere deferentem jubent; Suas excuſant, defendunt, in cœ-

lum tollunt, ac ,antùm non *Angelas Archangeláſque* (quod vulgò dicitur) creant, aut *canonice Sanctas* conſtituunt. Eas interim, tametſi formâ juventáque vetnantes, vagari & excurrere quaquaverſum, (etiam in longinqua, & incomitatas,) ſinunt: neque de periculo curant Pudicitiæ; in quo, tametſi manifeſtiſſimè nonnunquam eas conſtitutas deprehendant; diſſimulant, ad exemplum Sigiſmundi Cæſaris, in Barbara Conjuge: ne contriſtent eas, aut minùs obſequentes ſibi reperiant. *Viri* (uno verbo) *picti*; non, quales eos eſſe conveniret, cum *magiſterio Dominatúque in Vxorem* aberrantem, aut periclitantem.

HIII. Haud è talium maritorum numero *Reyneſius*; quod advertebat in Uxore ſceleris, hoc oderat: quod deferebatur, hoc credebat; quod in ea jam negari pacto nullo poterat, hoc puniendum decreverat. Tametſi (ne laudare ſingula quæque, ſeveris in maritis, videar) neque *ritè* Pœnam hanc, neque *moderatè*, ſumendam conſtituit. Non *Ritè:* quia (quod Jura dicunt) *Nemo debet eſſe, in propria cauſſa, Iudex. Nemo ſibi ipſi Ius dicere.* (*V.*) Item alibi; *Singulis concedendum non eſt, quod per Magiſtratum publicè fieri poteſt* (*X.*). Permiſiſſet Pœnam Juri *Reyneſius*! Neque etiam *Moderatè!* quoniam, *Ex Ira furer équu qui punit, Servare modum non poteſt. Ira enim Viri, Iuſtitiam Dei non operatur*, inquit Apoſtolus, Chriſti frater. (*Y.*) Sed, quid volumus? *Divina Iuſtitia* ſæpiſſimè *alterius Malefacto*(permiſſo)*utitur ad alterius, Conſummatam* jam & incorrigibilem, *Malitiam plectendam*: ſicut homicidio *Abſolonis*, ad ulciſcendum Inceſtum Amnonis (*Z.*); & tyrannide regum ac militum *Aſſyriorum*, ad caſtigandam Iſraëlitici

Caſtelperſia.

Iſraëlitici populi Idolomaniam (*A A.*) In hunc modum & hîc accidit.

XIV. *Reyneſius* enim, furore (ſed ſecum intus cohibito preſsóque) plenus, per cauſſam, ingenioſè confictam, die quodam revelli peſſulos interiores cubiculorum & conclavium ſuſpectorum, omnes unâ horâ, mandat. Fit, à famulis ac fabris, quod mandârat. nec Uxor tamen adhuc cauſſam veram & genuinam ſubodoratur; amoris, & obſcuratæ mentis ſtupore. Paullò deinde poſt, maritus repentinum ſimulat ac longinquum iter: id, quod alii complures, omni jam olim ævo, deprehenſores adulteriorum fecerunt; faciéntque in poſterum alii: neque tamen adhuc, poſt tam innumera *Deprehenſionum* exempla Tragica, Cupido cæcus, ad ſibi cavendum, fit Oculatus, aut expergiſcitur. Conjugi *Reyneſius* (tanquam diſcedens remanſuræ) valedicit. Et hæc (quod diſertè, verbis his iſis, *Cramandus* (tradit) *abeunti illachrymatur*, QUI MOS (inquit) ADULTERIS. non, quin & *Caſtæ* quandóque viris abeuntibus illacrymentur: ſed *Fletus*, *in his*, *Amor eſt*: *in illis, affectatio*, & hypocriſis, & *latens in ſinu Riſus*. Dat ſe *Reyneſius*, cum famulis aliquot, in viam. ſed noctu rediturus; ſicut audiemus. Vix autem maritus, cum ſuis, abſceſſerat: cùm ſtatim in caſtello, *Libidinis regnum vetus* invaleſcit. nuntius ad *Paulinum Vice-Comitem*, de *Reyneſis* inſperato diſceſſu, in loca longinqua, in dies aliquammultos (ſic enim, abiens, dixerat) expeditur. Sinè mora *Paulinus* ad *Suam, non Suam*, feſtinat: & quidem, ſive comite tantùm, ſive ductore etiam, quin inſuper (ut creditum fuit) participe ſororiæ turpitudinis, fratre adulteræ, *Panatio Vice-Comite*. Intrant;

Caſtelperſia.

& quidem armati: excipiuntur (ut ſemper, ac tunc multò licentiùs) meretricè, ſub cœnam & epulas, cubitum abitur. Et à *Caſtelperſia* quidem ac *Paulino*, in ipſum *Reyneſii* thalamum; & (ô, fœditatem!) in Lectum. ibi, juxta lecticæ ſpondam, in ſcamno cubiculari, *Paulinus* arma, gladium, ſclopum (nitro ſuo globóque inſtructum) ſeponit. Et *Pantatius*, Caſtelperſiæ *frater*, tunc quidem *Paulino* partes priores concedens, aliud in Conclave ſecedit: ac ſecubat. Tantúſque (quod miremur) mœchorum, amore pariter & amentiâ ebriorum, ſtupor fuit: ut animadverterent (nominatimque Panatius (introrſum avulſa cubiculorum ac forium repagula; neque tamen ob illud aliquid curæ, vel ſollicitudinis, animo conciperent.

XV. Erat jam noctis medium: & *Panatium* in Somno; *Paulinus* autem, & *Caſtelperſia*, in curſu Sceleris: quod Oculi divinæ majeſtatis, & ipſa ſtellati cœli lumina, refugiebant; *ad iniquitatem reſpicere non* valentia (*BB.*); cùm repentè, quantò poteſt, ſilentio *Reyneſius* maritus adeſt, cum ſatellitum ac famulorum armata manu. Ab ancillularum aliqua, præconductâ, fores arcis panduntur. intromittuntur, qui venerant; ac ſtatim in ſuperiora caſtelli omnes evadunt: à laſcivientibus adulteris indeprehenſi penitùs & inobſervati. Tantopere ſceleri indormierant! Poſteaquam ad uxorii cubilis fores *Reyneſius*, & in ſalvo jam eſt: tum demum tumultus, de compoſito, cietur ingens momentóque uno, cubiculare diffringitur oſtium: ac facillimè, nullo intus obice prohibente, irrumpitur. introferuntur unà faces ac lumina; punctóque temporis, armatorum coronâ Lectus jugalis circumſiſtitur. comprehenduntur in flagranti flagitio,

Caſtelperſia.

tio, mœchus *Paulinus*, & adultera *Caſtelperſia*. Simùl *Reyneſius* exclamat altùm: exclamant pariter & adulteri. tumultuatur vocibus omnium, ac ſtrepitu. ſedilia, ſcabella, impedimenta lecticaria, huc illuc jactantur. *Paulino* mœcho *Reyneſius*, &, cum hoc, pariter cæteri omnes, imminent. hujc inſiſtunt, hunc premunt, hunc interemptum ire feſtinant. Sed *Paulinus* è lecto, jam olim, exſiliens; depoſita ſuper ſcabellum pedaneum arma ſua corripit, utráque manu: hinc quidem ſtrictum gladium; illinc autem ſclopetum expeditum, vibrans & intentans. Et quia fiſtulam (ut dixi) ſuam plumbeâ glande, ignivomo ſilice, nitratóque pulvere, jam pridie perfectiſſimè in ſtruxerat: eam in *Reyneſium*, inſtantem ſibi, pectore tenus, explodit; ſed ictu glandis innoxio: quoniam *Reyneſius* (idipſum prævidens, ac metuens) aheneo ſe thorace, ſub veſtibus ſuis, in hunc ipsũ casũ præmunierat. qui continuò & ipſe fiſtulã ſuam æneam exonerat in *Paulinum*: nec aberrat. Superingruunt interim, in domini periculo tanto, ſimul omnes, qui cum *Reyneſio* venerant; uni *Paulino* gladiis, ſclopis, pugionibus, haſtis ac ſariſſis inſtantes. Quo dato tam idoneo effugiendi ſpatio, & occaſione, *Caſtelperſia* tantiſper (deſerto tot inter ictus adultero ſuo) fugam capeſſit; & ſeſe confert in cubiculum filiolæ, ac nutricis ejus: indè, retruſiores in latebras. *Paulinus* autem, quoad licuit, repugnans, nec aliud, niſi cædes ac minas, & *Reyneſii* mortem, ſpirans; nonnullos etiam *Reyneſianorum* ſua manu trucidans: ad extremum ipſe quoque, cribri more perfoſſus ac perforatus, cadit, & occumbit.

XVI. Hæc autem dum fiunt; *Panatius*, adulteræ frater, & (fama fuit) coadulter, Sclopoorum

Caſtelperſia.

explosionibus mutuis, tumultuantiúmque sonitu, expergefactus, & cubiculo suo raptim excurrens: visâ Tragœdiâ, sibíque fata paria metuens, ex delicto pari; celerem per scalas descensum, ac fugam, apparat, Sed is ab iis, qui à cæde *Paulini* (ad *Castelpersiam* quærendam) digrediebantur, in ipso scalarum gradu primo deprehensus, & ab affine suo Reynesio vel *Subsistere* jussus, *vel Mori*; dum contrà fari, & altercari verbis, parat, hastâ longâ transfoditur. Quod profectò facturus *Reynesius* non fuerat: nisi præclarum hunc Conjugis suæ germanum, Sororis vel inquinatorem, vel lenonem, vel etiam utrumque simul extitisse, pro indubitato habuisset. O, væ! væ! væ! animæ *tanti Peccatoris*! Reperio namque, præter hæc incestûs ac libidinum probra, de quibus dixi? *Panatium* hunc, hominem fuisse, *Naturâ*, (quæ Gramondi verba sunt) *in omne nefas expeditum*. O, matrem infelicem! in educata tam pudendâ progenie; *Parique* Liberorum, tam exsecrabili! Et in hunc quidem, quem retuli, modum, *Paulinus* ac *Panatius* jacebant. Adultera verò ubi?

XVII. Latebat *Castelpersia*: quærebatúrque totis passim ædibus, irrito diu labore. Servulorum nonnemo tandem invénit latitantem; ac prodidit. Statim præstò maritus est, indignatione temerati toties cubilis ardens, & tot contumeliarum memoriâ fumans circùm eam pariter & satellitium omne *Reynesianum* adest. Protrahitur infelix: advoluta genibus jacet, seminuda, tenui, teneréque injectâ, bysso malè tecta: filiolam, quam rapuerat, infantem complexa, brachiola patri, pro materna impunitate, tendentem. Ipsa flens, tremens, ejulans, per omnia sacra profanáque obsecrans,

Castelpersia.

Digitized by Google

crans, diſpaſſo conturbatóque capillitio, vitæ gratiam obſecrabat. Commoveríque *Reyneſius*, à vitæ ſocia, viſus; parſuri jam ſpeciem vultu meditabundo promittebat. ſed cum *Famulus* (ille fortaſſis ipſe, qui primus omnium amores & adulteria retexerat) interpellans ; *Mortem*, ait, *Mortem meruiſſe mœcham ; quam iam luerit, qui pari, nec flagrantiore, fuerit in Culpa. Laboraturam apud tribunalia Gallicana Reyneſii cauſſam ; niſi, amborum deprehenſo delicto, cadẽ etiam ex æquo faciat amborũ.* Currenti, facilè calcar additur ; ut cuj jam antè dudum, ne parceret, ac veniæ clementiam impertiretur contaminatæ tot ſpontaneis probris uxori, forenſe ſuccurriſſet illud ; *Qui non facit, quod debet ; non recipit, quod oportet.* (CC.) Ergo lamentanti, ſingultus inter ac preces, filiolam abripit : &, in *Caſtelperſia* pectus adacto pugione, quinque, vel ſex plagis exitialibus adulteram contrucidat. *Cadavera* porrò *trium nocentium*, ut quodqne conciderat, jacére ſinit, per triduum ſolidum, in ſanguine, ſanie, fætoréque ſuo ſqnalentia. Tantiſper ipſe, caſtello clauſo, cum ſuis ad Regem pergit : cædem adulterorum, & omnem cædis cauſſam ordinémque, refert : *Impuniatis* confeſtim *Diploma* impetrat, & aſportat ; antiquâ *Civilis Iuris*, circa cædes ejuſmodi, conniventiâ, noſtris etiam adhuc ſæculis inextinctâ. Qamvis enim, ut cum aliis Laymannus docet (*D D.*), *Iniqua ſint Leges Civiles, ſi Adulteram à Marito, vel alio privato, permittant interfici Approbativè* [velut locuuntur] : *ac graviſſimum Æterna Pœna reatum incurrat Occiſor ; & adhuc graviorem, ſi inſuper etiam Impœnitentem*, ut docet ipſe quoque Divus Thomas in Suplemento, quæſtione 60. articulo. 1. in corpore : *Civiles tamen*

Caſtelperſia.

men leges (ut iidem tradunt) *id Negativè permittunt*; eatenus duntaxat, quòd Homicidam talem non puniunt, *Ob iuſtum illius dolorem.* de quo dolore loquitur & Spiritus Sanctus, Proverbiorum ſexto capite (EE.); cùm; *Zelus & Indignatio* (inquid) *Viri non parcet in Die Vindictæ: nec acquieſcet cuiuſquam Precibus.* Sed, quid opus eſt, poſt factum (quod jam emendari nequit) vel cautelâ, vel diſputatione? Patrata cædes eſt: & patrata *anno Chriſti*, milleſimo, ſextenteſimo, decimo ſexto. Quibus ſic geſtis; quid jam ſupereſt, niſi, ut ad Sermonis aliquando finem, & ad Cæſorum cadavera, veniamus?

XVIII. Ad Te verò præcipuè, ò, longè miſerrima *Caſtelperſia*! ne de Adulero tuo *Paulino*, fratréque *Panatio*, ſine cauſsâ, vel plus æquo, laboremus: qui ambo, propter Adulterium (& procuratum, & commiſſum) in ipſo præterea vigente furore ſuæ mentis (immò dementiæ) interfecti, jam *abierunt in Locum Suum.* (FF.) Tu verò *de Teipſa* (ô, térque quatérque infortunata!) *quid dicis*? Si loqui nunc, ut olim, poſſes; nimirum, illud vetus meum, & divini vatis *Ieremiæ*, mecum pariter exclamares; O, *Fructus Mortalium Peccatorum Peſtiferos! O mortales inſanos, quotquot etiam nunc, in his, aut horum ſimilibus, Delictis Lethiferis, noſtram hanc calamitoſam trigam, imitamini! Scitote, & videte! quia Malum & Amarum eſt, Reliquiſſe nos Dominum Deum noſtrum: & non fuiſſe Timorem illius apud nos.* (GG.) *Amarum*, inquam, & pluſquam Amarum, in *præſenti* hoc Sæculo: Amarius autem, in *altero*, paribus, & numeris infinitis, *Amaritudine Amariſſimâ!* (HH.): utique, cùm de nobis *Tribus*, ac noſtri ſimilimis, ſcriptum ſit in

in Apocalypſi (*II.*); *Pars illorum in Stagno, ardenti-Sulphure & igni.* De noſtro, noſtríque ſimilium, flagatio & Pœnis, ſcriptum in Jobi vaticinio; (ídque etiam, de *Simplici Adulterio*; nedum de gemino, vel etiam, Inceſtu); *Ignis eſt, uſque ad Perditionem devorans.* (KK.) Et âpud eundem alibi (*LL.*) *Vſq; ad Inferos, Peccatum illius!* Et meritò quidem Inferi; meritò Stagnum ardens, & Gehennæ Sempiternitas, FRVCTVS ſunt Peccati hujus; ſecundùm ea, quæ nos Scripturæ ſuper hoc uleriùs docent. *Hoc enim* NEFAS *eſt* (pergit Jobus) *& Iniquitas Maxima!* (*MM.*) NEFAS, inquit. Eſt enim profectò (teſte judicéque vel ratione Humanâ) *Nefandum*, & intolerandæ Incontinentiæ facinus: Tot ſcilicet millia, ab initio Chriſtianitatis, ad hoc uſque Sæculum, illibatè, in utroque Sexu, omníqne ætate & conditione, vitam egiſſe, pro amore Chriſti, ac Salutis ſuæ & hodiéque quàm plurimos ſic vitam agere, neſcios prorſus omnium ejuſcemodi carnis oblectamentorum, ſive jugalium, ſive ſolutorum: Tibi verò (quiſquis es in tori legitimi conſortio) in favorem imbecillitatis tuæ, &, quòd *non omnes caperent verbum hoc* Cœlibatûs Angelici (NN.) Deum indulgentiſſimum conceſſiſſe, pro totius vitæ tuæ puberis curſu, virum fœminæ fæminam viro, quamcnnque ex omnibus eligere tibi libitum eſſet, *In remedium Incontinentiæ tuæ.* Et quidem, juxta Theologorum unanimem doctrinam, abundè multa in *Coniugii uſu* vobis Conjugatis indulſit; dumodo Naturæ intrà limites, & matrimonii fines, maneretis. Quid ultra facere debuit? aut concedere? & tamen iſto ſatiari indulto noluiſti. Nónne ergò *Nefas* eſt? Eſt autem & *Iniquitas* (inquit Jobus) in quovis Adulterio:

dulterio: ſive jam *Maximam*, dicamus, ſicut ille dixit: ſive & *Multiplicem*, uti nos aſſerimus. *Iniquitas* (quaſi Sacrilega) in Corpora ipſa Conjugatorum; quæ, in Sacramenti hujus ingreſſu, ſunt quodammodo Sanctificata (velut innuit & Divus Paulus, primæ ad Corinhios epiſtolæ ſeptimo capite, verſu decimo quarto) *Iniquitas* eſt, in Legem Altiſſimi, tam ſeveris inhibentem interdictis, tam diris deteſtantem maledictis adulteria: Eccleſiaſtici præſentim viceſimo tertio capite, à verſu viceſimo quarto, ad verſum uſque triceſimum octavum, *Iniquitas*, in Virum proprium (ſi fœmina vitiandam ſeſe præbeat) & omnium maximè-propria Injuſtitia: quippe cùm viro, & eripiatur, quod ſuum erat; &, detur in juſtè, quod illius non erat; quando filius aut filia ſubſtituitur aliena, tanquam propria. quo caſu, quatenus ad *Reſtitutionem* teneatur *Adultera*, vel etiam *complex* illius; ſpectat ad ſacri tribunalis judicium, ac deciſionem. *iniquitas* in Filios etiam legitimos; quibus per *fratres - non - fratres*, pars decerpitur & fortunarum, & hæreditatis: ac nomen inſuper bonum interdum invaditur; ut qui, uno ſpurio exiſtente vel altero, etiam ipſi poſtmodum pro illegitimis, à multis, tum habeantur, tum aſpiciantur. *Iniquitas* in propriam boni nominis poſſeſſionem; quin, & in propinquitatem univerſam: cùm, pro eo flagitio, dedecus incurratur memoriæ nunquam abolendæ; diutiſſiméque generi illius adhæſuræ. *Iniquitas*, in Subſtantiam ſeu fortunas Viri; quæ plerumque conſumuntur, aut plurimùm imminuuntur, ab uxoribus iis, quæ *in Luxuriis enutriunt corda ſua*: (OO.) partémque maritalium opum adulteris amatoribus impendūt. *Iniquitas* denique in Animam & Carnem; quæ, cùm

Caſtelperſia.

cùm juris noſtri non ſint, ſed ad Deum ſpectent conditorem; obnoxia fiunt ſempiternæ Damnationi. *Damnationi?* (inquis:) aut, in hac ſaltem *Caſtelperſiâ? quæ utique potuit* (ais) *unico gemitu delere cuncta: ſibique Cœlum reſerare. Quidni quippe, percutiendo pectus ſuum, (priuſquam ferro transverberaretur) ac dicendo; Deus, propitius eſto mihi Peccatrici! iuſtificari potuit in puncto, vel ictu pugionis; & in Cœlum Spiritus emundatus evolare?*

XIX. O, dulciſſime mortalium Salvator, pie Jesu! quàm impudenter abutitur miſericordiâ tuâ mortalis *Præſumptio?* Fœminámne, ab ipſis incunabulis, ſemper omnibus deditam corporis delitiis, inutritámque voluptatibus, & molitudini? devotionis ac pietatis omnis expertem? Dei nunquam memorem? choréis, luſibus, jocis, amoribus, extra & intrà connubium, dies immerſam, ac noctes? Eámne talem, de lecto ſæpiſſimè polluto, repentè Thalamum in cœleſtem? de complexibus adulteri, in amplexum Sponſi Virginum? de turpiſſimo concubitu, ad Paradiſi puriſſima ſanctiſſimáque gaudia, evolaſſe? Quòd ſi tantâ facilitate proſilitur ad *Lætitiam inenarrabilem, & glorificatam* (*PP.*); *& ad immarceſcibilem gloriæ Coronam* (*QQ.*): decepit ergo nos divinus Petrus, Apoſtolorum princeps: cùm dixit ac ſcripſit (*RR.*); *Si IVSTVS VIX SALVABITVR: Impius & Peccator* (Impia Peccatrixque) *ubi parebunt?* Decepit (ô, nefas vel cogitatu!) decepit Salvator ipſe, cùm clamavit; *Contendite intrare per ANGVSTAM Portam! &; ARCTA eſt Via, quæ ducit ad Vitam: & PAVCI* (*Pauci*, inquit; non, *quivis*, à Peccato recenter prorumpens) *inveniunt eam.* (*SS.*)

XX. Sed,

Caſtelperſia.

XX. Sed, *Ingemuerit* ſane *Caſtelperſia*: & hoc; *extra Sacramentalem Confeſſionem* (quæ ſanè non interceſſit hîc; nec ſpatium aut locum; aut fortaſſè nec cogitationem, invénit) quàm ſyncerum tu fuiſſe putas *Gemitum*; ac Pœnitentiam? Si delevit *Adulterii*, (eo ipſo tempore, & ſexcenties antehac, commiſſi) Mortalia Peccata; *Contritionem* fuiſſe oportuit, ſubſtantialiter *perfectam* (non, *Attritionem* ſolam): & conſequenter, *Ex Amore Dei, ſuper omnia Dilecti*, progreſſam. Quis ſanæ mentis autem credat, Locum tunc fuiſſe Exercitio *Puri Amoris Dei*, ab recénter-impuro-*Amore-Carnis*; & in medio, mille mortis formidinum, tumultu? Sancti Auguſtini hîc clamor eſt, ac proteſtatio, in tali caſu ſeræ, ſub animæ fugam, Pœnitentiæ; *Si Securus hinc* (talis) *exit, ego neſcio: Si Ille Securus eſt, ego non ſum Securus.* (*TT.*) Ut Breviter dicam, concludámque: Aliud fortaſſis ſperari uotuiſſet, ſi non, niſi *Semel tuntaxat*, Peccatum hoc, & ex ſola lubricæ carnis imbecillitate, perpetrâſſent. Nunc, *Inveteratâ Conſuetudo* fuit; & *actus* flagitioſi *quàm plurimi, ex mente*, delinquendi ſæpius, determinatiſſimâ. Cujus (præter ea, quæ ſuprà memoravi) fidem facit ampliſſimam; quòd, poſt interfectos jam adulteros, à Commiſſariis, liti (quam *mater Caſtelperſiæ*, dolore furens, movebat) deſtinatis, in ſcrinio quodam *Paulini Vice Comitis* repertâ Scheda eſt, utrimque nefariè obligans, in hunc modum ac verba: quæ bonâ fide Gramandus exſcripſit; ego ex eo recito.

Nos Rapiſtagnus, Vice-Comes Paulini, & Caſtelperſia de Panato fidem mutuò adſtringimus, matrimonio dalàm contrahendo, ubi primùm occaſio dabitur. &, quò plenior ſit fides, quò item Obligatio firmior,

mior, *Conſummationem antecedere placet*, *ex Pacto*. Subſcriptum erat. *Caſtelperſia Rapiſtagnus*. *Kalendis Iannuariis*, *anni* 1616. A quibus ſcilicet Kalendis *Coniugium* deinceps *Conſummatum* appellârunt; quod *Adulterium* antea, vel ipſorúmmet conſcientiæ, ſemper fuerat. Hoc *Connubii* ſpecioſo nómine, placuit, laſcivis, ac malitioſè ludibundis, culpam ſuam prætexere. Quo jure namque, *Coniugium*? quod, Vivo tunc etiamnum marito *Reyneſio*, nec promitti quidem potuit? &, eo poſtmodum extincto (ſi prior is, & ante *Caſtelperſiam*, obiiſſet) contractum, ſecum tracturum fuerat *Impedimentum Dirimens*? Hoc igitur eorum erat Sceleris *Propoſitum* atque *pactum*. cum quo & perierunt. Ex quo facilè quivis cunjiciat; *Quæ ſpes ſit*, *aut eſſe debeat*, *eorum ſempiterna Salutis*? Atque hæc *Peccatorum Mortalium* Omnium (dilectiſſimi) ſuo tempore poteſt (ac ſæpiſſimè ſolet) eſſe cataſtropha. quoniam, in cujusvis eorum ſtatu, recentíque admiſſo, impræparatâ *Præoccupari morte* quivis poteſt, nec *Spatium invenire Pœnitentiæ* Salutaris. Quam à nobis (omnibus atque Singulis) *maledictionem graviſſimam* Divinæ Clementiæ Bonitas avertat!

TESTIMONIA.

[A.] 1. *Petri cap.* 4. *verſ.* 16. [B.] *Reſponſorio* 1. *Nocturni* 2. *Dominicæ I. Quadrageſ. & Feriæ* 3. *ac* 6. *reſponſor.* 1. [C.] *Proverbior. cap.* 1. *verſ.* 5. [D.] *Gallicè Reyniés.* [E.] *Eccleſiaſtæ cap.* 1. *verſ.* 2. [F.] *Ex Roſeto*, *expreſsè hoc tradit Germanus*, *Roſeti translator*: *Hiſtoriâ* 23. [G.] *De Antonia*, *vide* Caſtelperſia.

Digitized by Google

vide etiam Suetonium in Caio. cap. 24. [H.] *2. regum. cap. 13.* [I.] *Deuteronom. cap. 27. verſu 22.* [K.] *Eccleſiaſtici cap. 42. verſ. 11.* [L.] *Eccleſiaſtici cap. 26. à verſ. 13. ac ſeqq.* [M.] *Ibidem, verſu 15.* [N.] *Matthæi cap. 7. verſu 17.* [O.] *Ad Romanos cap. 9. verſ. 21. & 22.* [P.] *Lucæ cap. 13. verſ. 27.* [Q.] *Franciſcus Toletus Inſtruct. Sacerdot. l. 5. cap. 13.* [R.] *Eccleſiaſtici cap. 5. verſ. 8.* [S.] *Verſu 13. & 14.* [T.] *Iſaiæ cap. 18. verſ. 15.* [V.] *L. 1. C. ſi quis in ſua cauſſa.* [X.] *L. non eſt Singulis ff. de R. t.* [Y.] *Iacobi cap. 1. verſ. 20.* [Z.] *2. regum. cap. 13. per totum.* [AA.] *Baruch, cap. 4. verſ. 6. & 15. & 25. & 31.* [BB.] *Habacuc cap. 1. verſ. 13.* [CC.] *Comitangulus, Annot. ex variis locis Iuris.* [DD.] *Libro 3. tract. 3. part. 3. cap. 2.* [EE.] *Verſu 34.* [FF.] *Actorum cap. 1. verſ. 25.* [GG.] *Ieremiæ cap. 2. verſ. 19.* [HH.] *Iſaiæ cap. 38. verſ. 17.* [II.] *Apocalypſ. cap. 21. verſ. 8.* [KK.] *Ioh. cap. 31. verſ. 11.* [LL.] *Iob cap. 24. verſ. 19.* [MM.] *Iob cap. 31. verſ. 11.* [NN.] *Matthæi cap. 19. verſ. 11.* [OO.] *Iacobi cap. 5. verſ. 5.* [PP.] *1. Petri cap. 1. verſ. 8.* [QQ.] *Ibid cap. 5. verſ. 4.* [RR.] *1. Petri cap. 4. verſ. 18.* [SS.] *Matthæi cap. 7. verſ. 13.* [TT.] *Sermone 36. apud Thom. Hybernicum.*

Caſtelperſia.

Perſtiſe.

Peſtiferorum Peccati Mortalis Fructuum,

EXEMPLVM TRAGICVM. IV.

SATHANAS HOMICIDA.

Peccata Lethalia FRVCTVM progignere, Diaboli, in Peccatores, ſævam Tyrannidem, & varia per eum illata Corporis Animæq; Nocumenta.

Dictum 12. Martij, ſeu, Dominicâ III. Quadrageſimæ, Veſperi.

I. CASTELPERSIÆ, *Rapiſtagniq;* Tragœdia finem exitúmque eum, quem octavo nos abhinc die didicimus, accepit: nondum finem & exitum, illorum Scelus; ut, cujus *Reliquiæ* quædam, etiam eorum cædi ſuperfuerint, eo, quo potuerunt, modô ſuperſtites. Nam ecce! quis noſtrum proximè non eſt miratus, tot, unum in diem congeſtam, malorum ſegetem, unâ in arce, domo, atrio? Adulterium impudiciſſimum? inceſtûs nefandi juſtiſſimam ſuſpicionem? pugnam, gladijs, ſclopis, haſtis, commiſſam? cædem adulteri? transverberationem affinis? interfectiones Uxoris? ſex altiſſimas à pugione maritali plagas, impactas pectori, toties, ac tot nominibus, ſibi juncto? penates, cubicula, lectos, toralia, pavimenta, cruentata? Inſepulta relicta,

licta, ſuis in ſordibus, ac putredine, cadavera? concluſam, ab hominibus incolis deſertam, & in ſolitudine relictam, arcem & caſtellum? Quis (quæſo) non aliquid ibi *Diabolorum* tunc imperitâſſe, ſibi perſuadeat, tot ac tam gravium calamitatum cauſſam? Latuit quidem certè quiddam, quod *Sathanã* attraxit. Poſt dies enim aliquot, ob querelas Socrûs *Reyneſii* (quæ filiæ ſuæ *Caſtelperſia* cædem perquam impotenter ferebat) dati in litem (velut nuper dixi) Regis Ludovici XIII. mandato, *inſpectores* & arbitri, (quos Commiſſarios vocanus) in ſupellectila ciſtarum *Paulini Vice-Comitis* arcaniore, deprehenderant nefarium illud, quod recitavi, Pactum, de Utriuſque adulterorum matrimonio ineundo, inito, & conſummado. Quô *Diabolo*, quis fingi poteſt pernicioſior, in bono pacatóque *Coniugio*? quod faſcinum directiùs contra Charitatem Conjugum mutuam? quod Fœdus, aut, quæ Sponſio, exſecrabilior, & intolerandior dignitati Sanctimoniæque Sacramenti? patefaciens ipſo facto Januam cædibus maritorum & exitiis conjugum feſtinandis: & idcirco *Impedimentum* invehens (ſicut monui) Matrimonii Futuri DIRIMES: irritúmque illud efficiens. De quo vide Doctores (ſi quis dubitas) & Laymannum nominatim, Libro quinto, Tractatu Decimo, Parte quarta, capite decimo, numero tertio, & quarto, diligenter diſſerentem. Ecce, hic ille *Diabolus* erat Latens, in ſcrinio *Paulini* mœchi! & quippeni etiam (cùm mutua reciprocáque fuerit Sponſio] in ſecretiore quopiam *Caſtelperſia* armariolo? Hic *Fortis* fuit *Armatus* ille [de quo, ex undecimo Lucæ capite, hodierum loquitur Evangelium] dudum *Cuſtodiens*, ac ſub extrema tot tumultibus cladibúſque permiſcens, *Atrium ſuum*. II. Sed,

Sathanas Homicida.

Digitized by Google

II. Sed, *Metaphoricus* hic *Sathanas* non ſuffeciſſet, ad tam tragicas creandas miſerias; niſi *Phyſicus* inſuper & *Verus* delituiſſet, in adulterorum utriuſque pectore, per univerſum illud nefandorum Amorum tempus. Namque (ut hodie de aliis quibuſdam *Peſtilentibus mortalium Peccatorum Fructibus* loquamur; De *Iugo* videlicet ac *Tyrannide* Crudeli *Diaboli*, in Peccatorem Peccatricémque Lethiferè Delinquentem) ſciendum, dilectiſſimi, ex Theologorum, Sanctorum Patrum, ac Divinæ Scripturæ doctrina, tenendúmq; pro certo eſt & indubitato: Hominem, poſt admiſſum voluntariè Peccatum grave, ſtatim, & è veſtigio, incidere in *Sathanæ* Dominatum: quem S. Hieronymus, ſuper caput 9. & 27. Jeremiæ, appellat *Iugum Diaboli, ex Peccato* proveniens. (*A.*) Hoc docet inprimis Divus Thomas Aquinas, cùm in Tertia Parte, quæſt. 48. artic. 4. ad tertium, ait; *Obligationem cauſſari Duplicem, in quovis Peccato Mortali: Servitutem* videlicet *Diaboli* (de qua clarè hodierum Evangelium, verſu præſertim vigeſimo primo, & vigeſimo quinto, ac ſexto) *& Reatum Pœnæ.* Docet ubertim, & Dominus ipſe Salvatorque Chriſtus, cùm de Spiritibus immundis, Uno revertente, & ſeptem *nequioribus* in comitatum aſſumptis, ſignatè pronuntiat; *Ingreſſi habitant illic; & fiunt noviſſima hominis illius peiora Prioribus.* Docet Sanctus *Paulus*, Secundâ ad Timotheum epiſtolâ, capite ſecundo, verſu ultimo: cùm, de Impiis, & Infidelibus, ac *Veritate* Divinæ *reſiſtentibus*, loquens, meminit *Laqueorum Diaboli: A quo*, inquit, *Captivi tenentur, ad ipſius Voluntatem.* Sanctus autem *Chryſoſtomus* uſq; adeò certus eſt veritatis iſtius, ut illius verba ſint; *Peccatum* (mortiferum) *eſt Summum*

Digitized by Google

Malum, *Spontanea Inſania*, *Voluntarius Dæmon* (*B.*) quod per *metonymiam* dicitur; eò quòd Peccatum Mortale *cauſſet* Diabolum, ejúſque in Peccatorem, ac Peccatricem, *Dominatum Tyrannicum*: qui nunc quidem *Aſpectabili* habitu, nunc autem *in Effectibus ſuis* pernicioſis, præſentem ſeſe ſiſtit.

III. Deus æterne! Deus juſtè! ergóne ego *Diabolum* (inquis) in me circumferam, in articulo illo, & ab eo temporis puncto, quo peccavi lethaliter? Egóne igitur ab *Laqueis* lictoris illius, & à Catenis teterrimi Carnificis hujus circumducar? Prorſus; mi homo! Si modò veri, Theologi; veraces, Patres; Veritas, Chriſtus; Veritatis Oraculum, Paulus eſt. Sed videlicet, quod Dominus Capharnaitæ Regulo dixit; *Niſi Signa & Prodigia videritis, non creditis* (*C.*): id in nobis quoqae verum eſt. Niſi enim *Exempla* ſaltem, *horroris plena*, circa Veritatem doctrinæ hujus, audiamus, & ea quaſi manibus ipſis attrectemus: rem iſtam, tanti momenti ponderíſque, nec penſamus, nec apprehendimus. Vultis ergo, dilectiſſimi, hodie quoque Exemplum aliquod, ac *Paradigma Tragicum*, vobis recenſeam? Non poſſum UNUM aliquod adferre nunc, in quo ſolo *Omnis* elucescat Diaboli, ad versùs Peccatores mortiferè delinquentes, Poteſtas, Dominatus, Crudelitas. Et tamen, Narrandum eſt. *Sum enim Debitor* (*D.*) tam ex Promiſſo nupero, quàm ex officio; ad exemplum Divi Pauli. Tamen arbitror. *Solvendi Debiti* modum etiam iſtum eſſe tolerabilem: ut, qui aureum, ſeu *florenum*, uno in nomiſmate, non habet; ſi *tres Quinarios* (*E.*) repræſentet, defunctus promiſſo debitóque ſuo conferri queat. In eundem ego modum, pro Longo *Uno*, *Tria* nunc breviora Paradigmata Charitati Veſtræ

Sathanas Homicida.

ſtræ adnumerabo: quæ Singula audire, forſitan non grave, nec incurioſum; audiſſe verò, retinuiſſe, perpendiſséque, ac vobiſcum domum quemq; ſuam reportaſſe, utilitatis pleniſſimum fuerit. Et quænam illa ſunt? Audiamus.

IV. Diabolus, poſt admiſſum ab homine *Lethale Peccatum*, ei nonnunquam *aſpectabili* ſeſe formâ exhibet, & quidẽ quacunque vult ipſe; niſi quòd, Martino Delrio teſte *certis* quibuſdam *animalium formis, Dæmonia Deus nondum uti, permiſit, ut Columbæ* (candidæ) *ſeu Oviculæ vel Agni.* cujus rei cauſas ex conjectura pia probabiliſque ſubjungit. (*F.*) Quoties autem *aſpectabili* ſe *ſpecie* præſentem offert: interdum quidem *Nocere vult*; *Sed*, impediente Deo, *nequit*: interdum autem *Nocere vult*, *&* (Deo permittente) *poteſt*, *ac reipſa nocet*, etiam uſque ad exitium Corporis & Animæ. Ipſe namque *eſt* (quod de eo Salvator aſſerit, Joannis octavo capite, verſu 44. *HOMICIDA ab initio.* Nonnunquam autem *nulla ſpectabili formâ* ſeſe offert; ſed, *in Effectibus* duntaxat, *gravibúſque Damnis*, quibus, (Dei accedente permiſſione, interdúmque etiam Imperio) Peccatorem, ac res illius, mactat, præſentiam ſuam Diabolicam confitetur; juxta quod in Eccleſiaſtico ſcriptum eſt; *Sunt Spiritus, qui ad Vindictam creati ſunt: & in furore ſuo confirmaverunt tormenta.* quæque poſt hæc ſequuntur. (*G.*)

V. *Primi* generis *Exemplum*, quo nempe, *viſibili ſpecie* aliquâ ſe præſentem conſtituens, poſt admiſſum ab homine *Mortiferum Peccatum*, Sathanas *nocere cupit, nec tamen* per omnia *poteſt*, ſed interim (ne nihil agat) in formidabile periculum hominem conjicit, illud eſt; quod recenſet *Alexander ab Alexan-*

Sathauas Homicida.

lexandro, Juriſconſultus Neapolitanus eruditiſſimus, ac vir pius, Genialium Dierum libro quarto, capite decimo nono. qui Scripror id, quod enarrat, ex ore ſe fatetur illius ipſius enarrare, cuj periculum hoc evénit; circa tempora Pontificatûs Alexandri Sexti.

In Regione Italiæ illa, quæ *Lucania* priſcis dicta fuit, hodie *Baſilicata*; montanum eſt in Alpibus iis Monaſterium, unà cum Templo. Eo in cœnobio, die quodam, Religioſi, illius incollæ, (incertum, quâ de cauſsâ, vel occaſione?) graviter inter ſeſe verbis contendere cœperant, ac rixari. Cœnobitarum verò præcipuè Unus quidam (*Fratri Thoma*, nomen erat) auctori noſtro perquam familiaris, *Homo* (ſicut ſcribit Alexander) *minimè malus alioquin*, *& cuius fidem* ipſe *probitatemque*, *pluribus in rebus expertum* ſe, teſtatur, *Solus cum pluribus* per ordinem *iurgatus fuerat*; ſic, ut inter ſe convitia quoque Verborúmq; Contumelias, Religioſis Viris cumprimis indigniſſimas, & indécores, ultro citroque jacularentur. Indignatio hæc erat, & contentioſus Clamor *Ira*; quæ ſiquando tam immodicè efferveſcat, *ex Modo ſaltem* evaleſcere poteſt in *Peccatum Lethiferum*: ſi vera ſunt (ut ſanè veriſſima) Chriſti verba (*H.*) *Quia Omnis, qui Iraſcitur fratri ſuo, reus eſt Iudicio. qui autem dixerit fratri ſuo, Raca, reus erit Concilio*: *Qui autem dixerit, Fatue*; *reus erit Gehenna Ignis*. Quàm eſt autem *facile*, ſic inter ſeſe mutuò ſibi maledicentibus, indignationis exprobrativa verba, vel *Fatue*, vel hujus ſimile quid, elabi? Quam facilitatem peccandi graviùs quiddam, in Jurgiis ejuſmodi, expreſſiſſe mihi videtur *Divus Auguſtinus*, Sermone Decimo de Verbis Domini: cùm; *Peccaſti* (inquit) *in*

in fratrem; fac ſatis. C*ITO feciſti Rem Mortiferam*: ſed *Remedium citò inveniſti.* (*I.*) Nec Divus ac mellifluus *Bernardus* adeò Levem (ut nos nobis ſubinde fingimus) eſſe cenſet Fraternæ dilectionis, (per ejuſcemodi verboſas pugnas, contumelias, & convitia) Sciſsuram: quando Sermone ſuper Cantica Vigeſimo nono exclamat; *Væ homini illi, per quem Vnitatis vinculum iucundum turbatur! Iudicium profectò protabit, quicunque eſt ille!* Profectò *Væ* illud ac *Iudicii* Pondus, non aberit ab eo, qui criminoſis agnominationibus, convitiis, exprobrationibus, contumeliiſque *PacemDomeſticam* lacerat ac divelit.

V I. Quidquid id autem Peccati fuerit in rixa, tumentéque jurgio illo Fratrum inter ſeſe; & quantæcunque gravitatis exorbitatio, in *Thoma*, cum eorum ſingulis uno tempore pugnâ verboſâ digladiantis: *Diabolus* profectò confeſtim ſuum ordiri *Dominatum* cœpit, in Rixatorem. Nam; *Frater Thomas* (inquit hiſtoriæ deſcriptor, Alexander ab Alexandro) *poſt immodica Convitia & Rixas, animo* (ſicuti fieri ſolet) *perturbato, inde ſe proripuit*, ex omni monaſterio atque templo: ídque (quod bonũ, ac Religioſum, in ejuſmodi circumſtantiis, nõ erat) *Solus.* Ne tamen nimiùm diu *Solus* incederet; citò *Socium* invénit. Ecce namque! per Sylvas incedẽti, ſecúmque (ſine dubio) reliquias iræ percoquenti, *Species occurit Hominis, vultu tetro, barbâ nigrâ, tunicâ promiſsâ*, qualis eſſe ſolet *equiſonum* illis in regionibus: oris autem & oculorum aſpectu *ſæuo, deformique* cum enormi quadam corporis procerit ate. Rogat eum *Frater Thomas*; Quidnam eſſet cauſſæ, quamobrem id locorum, per devia *ſolus* obvagaretur? Ille, qui hoc idem, & juſtiùs,

Sathanas Homicida.

quærere Religioſo potuiſſet; Equum (ait) quo vehebar, tantiſper, dum deſcendo, malè felix amiſi (nimirum *Diabolus* Thomam, tam immodicè excandeſcentem, *equitaverat*) quem equidem (addebat) in proximos huic loco campos avolâſſe, vel digreſſum eſſe, ſuſpicione tangor. *Frater Thomas*, immiſſurus ſe (præ tædio, & ignoratione rerum agendarum) rei negotióque, quod Vocationi ejus planè commiſſum non erat; Agè igitur! inquit: Eamus unà! Placet hoc duobus his. eunt, incedunt, per avia deviáque & invia, ſurſum, deorſum, hâc illac, torto ſerpentinóque inceſsûs ac viæ flexu; donec ad profluentem denique ſylveſtrem eſt ventum: cujus alvei gurgites ac voragines conſpiciebantur, profundæ multùm & formidabiles. Incipit velle calceamenta, tibiarúmque tegmina, ſibi Religioſus detrahere, in expeditiorem indemnémque torrentis trajectum. Negat Vir, qui comitabatur eum, opus eſſe nudatione pedum: invitat, ſuadet, urget, compellítque tandem, ac pervincit: ut ſe ſuccollaturum conſcendat. Paret ei *Thomas*: & illius *Polyphemi* ſcapulas inſcendit. Iſte, vadum ſe ſimulat amnis (quà clementius eſſe, ſuperatúque facilius, relucebat) circumſpicere ac veſtigare: jam jámque torrentis in ingreſſum accînctus.

VII. Sed, eodem momento, aperiente Oculos hominis miſericordiſſimo Deo, conſpicit *Frater Thomas* bajuli ſui *Pedes* (jam & ipſos ad tranſitum renudatos) eóſque probè contemplatur; deprehendénsque, Non Humanos eſſe, ſed tetrâ deformíque ſpecie: timore mentis exſternatus incredibili; *BONE IESV!* (exclamat) *QVID ID EST MONSTRI! Deus Omnipotens, affer opem mihi!* Cum dicto, *Sathan* Tartareus (nam is, nec alius, fuerat; cujus

Sathanas Homicida.

cujus tergum incautus *Thomas* inſcenderat) excuſſo ſcapulis *monacho* (poſt divinum utique, fulmineæque potentiæ *IESVS* Nomen auditum) ſtridorem emittit immanem: & evaneſcit. Quantam autem *Diabolus*, ad *Thomam* hunc, è montibus illis ſylveſtribus vel aëre *deſcendens*, *Iram* (*K.*) *apportaverit*: ex Ira conjici potuit, quam *ab eo* ſecum *aſportavit*. Quercum enim ingentem, ripæ torrentis illius imminentem, ſub illud ipſum fugæ ſuæ momentum, vi & impetu maximo colliſit; intérque ramorum colliſionem, eandem ſimul è fundamento radicitus evertit, ramos diffregit, diffractóſque diſſipavit: indicans, hac tanta rabie; Se ad eundem planè modum, diſcerpere *Thomam* quoque concupiſſe, quô quercum diſcerpſerat: ſi id ei per poteſtatem altiorem licuiſſet. Sed nimirum, illud eſt, quod *S. Auguſtinus* ait, ſuper Pſalmos (*L.*); ***Diabolus plerumque vult Nocere; & non poteſt: Quia Poteſtas iſta eſt, SVB Poteſtate. Nam*** (pergit Sanctos Doctor) ***ſi tantum poſſet nocere Diabolus; quantum vult; Aliquis Iuſtorum non remaneret.*** quantò minùs Peccatorum aliquis ac Peccatricũ? Unde ſanè cauſſarũ oppidò ſatìs eſt, cur tecũ ſæpe reputes, (miſer, & miſera,) quàm ſæpe tu, ob ***Peccata*** tuâ ***Mortifera***, Injuſtitiæ, blaſphemiæ, Perjurii, Libidinis, rei alienæ ſubreptæ, peractæ fraudulentiæ, Detractionis, Ebrietatis, ac ſimilium, in ***Dominatu*** fueris Imperióque ***Diaboli***? inprimíſque ex Rixa, Irâ gravi & injuſtâ, Odio, ſeu vindictæ cupiditate: cujus gratiâ tã ſeriò ſollicitéque monet ***Divus Paulus*** Epheſios ſuos; (*M.*) Ne ***Solem occumbere*** patiantur ***ſuper Iracundiam ſuam.*** Quod idem & veſtrum unicuique dictum ab eo, inculcatúmque, quotidie in animum inducite, chariſſimi: nec Occum-

Sathanas Homicida.

bere *Luminare cæli magnum* ſuper animam veſtrã, indignationis aut odii aut cujuslibet alíus peccati Lethiferi nubibus obtenebratã, concedite: ne fortè ſit, inexcuſsâ per Examen ſollicitum Conſcientiâ, Odióque nondum de corde vulſo, per noctem vos *Sathanas* ſtrangulet: ſicut fecit Septem illis caſtæ *Saræ* Sponſis (*N.*): & ſicut ſub illud ipſum tempus, quo Narrationis hujus auctor, Alexander ab Alexandro floruit, *Gabino* cujdam juveni, Romæ, (qui ſe, graviſſimo ad versùs parentem ſuum occupatus odio, dormitum receperat) facere conatus eſt; oppreſſis, tantúmq; non penitùs præfocatis, ipſius faucibus: quem & ſeminecem in lecto ſuo reliquit. (*O.*) Quantum autem ad *Fratrem Thomam* attinet: jacuit ille poſtquam è ſcapulis illum ſuis *Diabolis* in terram excuſſit, ad profluentis ripam, magnâ reſidui illius diei parte; exſternatus, ſuíq; impos, & exanimi ſimillimus: Víxq; ſerò tandem ad ſe, ſuúmq; cor, per Pœnitentiam intimam, redivit. Neq; dubitavit *Thomas*; quin, ſi ſuus *Diabolo* conatus ſucceſſiſſet, in vorticibus, gurgitúmque profunditate, torrentis illius, quódq; conſectaneum erat, in Peccati ſui ſtatu miſero, fuerit Periturus. ſed, ſervatus à miſericordi Deo, cantare cum Davide meritò potuit, illud Pſalmi Centeſimi vigeſimi tertii. (*P.*) *Torrentem pertranſivit Anima noſtra: forſitan pertranſiſſet anima noſtra Aquam intolerabilem.* (*Abyſſum* Inferorum ac *Perditionis*): *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem !*

VIII. Videtis [dilectiſſimi] *Peſtiferum Peccati Mortalis Fructum*, etiam iſtum ? *Iugum* videlicet ac *Dominatum Diaboli* ? Videtis, evidentiſſimum Interitûs ſempiterni periculum. Sed, hujc *Thomæ* pepercit, non parſurus ſemper & aliîs; ac tum minimè

Sathanas Homicida.

nimè omnium, cùm nimis Enormia peccantur, aut attentantur. Audiamus enim porrò; Quo pacto, *Sathanas* aliâ, penitúſque diversâ, formâ, propter Scelus Aliud, & *Nocere voluerit, & reipſa Nocuerit*, exitio Peccatoris horrendo. Id, quod SECVNDVM erit, ex *promiſſis*, hodierum in diem & horam, *Paradigmatibus*. Refert autem rem geſtam *Antonius de Torquemada*, in tertio Operis ſui Hexameri Die: & ex Torquemada, Scriptor quidam *Gallicus*, [quẽ *Gabrielẽ Cappuyſium* eſſe, conjectura merita eſt] Germanicè poſtea verſus, & editus in Treboccis: anno Salutis milleſimo ſexcenteſimo tertiodecimo, ſub titulo, *Gazophylacii Geſtorum Memorabilium Noſtri Temporis, & immediatè ſuperioris Sæculi.* Habetur autem Operis Gallicani Parte ſecundâ, paginâ ducenteſimâ quadrageſimâ ſeptimâ, ac ſequentibus. Eſt verò res in hunc, quem referam, geſta modum.

IX. *Eques* nonnemo *Hiſpanus*, prædives nobilis, ac præcipuâ dignitate [ſui, ut reor, Ordinis Equeſtris] conſpicuus; incontinentes oculos, ac laſcivum Animum injecerat, in Virginem ſeu *Puellam* quandam formoſam, quæ ſuam corporis integritatem, Votis Deo palàm nuncupatis, Cœlo non homini mortali, tranſcripſerat. Hujus habitatio, conjuncta templo cujdam erat, haud ità procùl remoto, à municipio & arce nobilis illius, quem dixi, Equitis. erántque plures ſimul ejuſdem propoſiti ſtudiique mulieres, in eodem, quo Puella iſta, contubernio: cujus inſpectio, cuſtodiáq; & directio cõmiſſa fuerat, ſummâ cæterarum voluntate conſenſúque, uni de maturioribus illius devoti gynæcéi. *Nomina* tam Equitis, quàm Puellæ, Templíq; *Propria*, diſſimulat prudenter *Torquemáda*: quò familiæ

liæ utrimque, poſteritatique vel Equeſtri illi Ordini [cujus fuerit Eques ille] parcat: Rẽ ipsã, contentus, cum fide; ſicut geſta fuerat, enarrare: quod ſatis eſt. Negligentiâ vel Inſpectricis, vel oſtiariæ, factum eſt; ut Eques ille, Puelláque, ad feneſtellam aut cancellos ædium illarum, mutuis alloquiis conſpectibúſque idoneos, ſæpenumero convenirent: & inter ſeſe familiariſſimè colloquerẽtur. *Fructus Colloquiorum* eiuſmodi, fuit, qui eſſe ferè apud tales ſolet; Amor malè ſanus: & ad extremum etiam, ut in nefarium Sacrilegúmque concubitum [quamvis Puellam *Deo ſoli* ac *publicè votam*, alter non ignoraret] uterque conſentirent. *Modus* ſolus, ad flagitii exſecutionem, non illico veniebat in animum Equiti: propterea, quòd arctâ [quantum quidem ad hoc] cuſtodiâ vigilantiáque Ædium illarum Penetralia munirentur, necui Viro ingreſſus patere poſſet: & Virgini domûs egreſſus interdiu pariter ac noctu, non niſi in Templum, patebat: nec deinde ulteriùs. Sed, quod Amatori non ſuccurrerat, fraudulentum conſilium Puella expedivit, Suadet hæc Equiti: ut, quò nocturnus etiam aditus, quoties collubitum eſſet, ei patéret, Claves fabricandas locaret Tẽpli illius Clavibus duabus quàm ſimillimas, de cerâ expreſſas. Earum porrò Claviũ alterã pro Porta extimâ muri illius, quo Templum & ædes illius gynæcéi cingebantur; alterã verò pro ipſius Templi interiore Oſtio, deſtinatas eſſe. Ad harum ergo Clavium ambarum ſimilitudinem ſi pro ſe totidem Eques effingendas curaret: facilimum poſtea [de noctibus præſertim] quoties animus tuliſſet, ad ſe intrò & ad mutuos congreſſus, aditum repertum iri. Cætera deinde, ſibi curæ fore: ut ex ædibus, Templo annexis, intempeſtarum noctiũ ſilentio,

ſilentio, quaſi per Precandi ſpeciem, ad Eccleſiæ inferiora deſcenderet, Equitémque, reſeratis portis intromiſſum, exciperet. Dictum! conventum! pactum, atque factum! velut inter eos convenerat.

X. Jam enim Claves, induſtrii fabri feſtinatione ingenióque factas, habebat Eques. Dies, inchoando flagitio deſignatus, & immò Nox, præſtò erat; ad *Opera tenebrarum* utrique delecta. Quæ, poſteaquam in curſu ſuo pleno eſſe cœpit: egreditur, nullo famulorum adjuncto, *Solus* (præter conſuetudinem cæterarum noctium) Eques: atque (ſicut inter ſeſe condixerant (circa Noctis medium, tenebris ſpiſſiſſimis, caballo vectus ſuo, flagitioſum æquè periculosúmque iter intendit ac perficit. Mirandum ſanè, ſtupendúmque; quòd per denſæ caliginis horrorem, in apparatu gliſcente flagitii tam tetri, non timeret; ne à mille *Diabolorum* legionibus diſcerperetur in fruſta. nam, quin eum comitati cum gaudio multo *Dæmones* ſint, quis ambigere ſanus poteſt, qui modò legat, vel audiat, ex Evangelio; *Iudam Iſcarioten*, in cogitatione nefaria proditionis Chriſti, *nocturno* tempore (Q.) exire meditantem, *Sathanam* habuiſſe ſocium, comitem, & inquilinum; ut, qui tunc, ob id ipſum, in eum introierit? qui recordari voluerit, in *Magdalenam*, impudicè viventem ; *Septem intráſſe Dæmonia*! (*R.*) Erat enim profectò, impurus hic *Eques* in voluntate deliberatiſſima flagitii maximi. Si namque *Simplex* etiam *Incontinentia*, Peccatum eſt *mortiferum*, Paulo teſte ad Galatas, capite quinto. (*S.*) & Apocalyſi Joannis, capite viceſimo primo, (*T.*) ubi de *Fornicatorum* pœna. Si item, temerare *nuptam alienam*, tam grande peccatum eſt, quia corpus illius per Sacramentum ſuo modo ſanctificatum

catum eſt (velut ſuprà in *Caſtelperſia* diximus, ex epiſtolæ primæ ad Corinthios capite ſeptimo, verſu decimo quarto) Si fœminam, quæ, ſe nunquam nupturam, *ſimplici* tantùm ac privato *Voto*, ſiue ſollemitate ulla, publicóque, appromiſit; de ſtatu voti ſui dejicere & contaminare, *Sacrilegium* eſt: quantô, quæſo, peccatum grandius erit, abuti ea (fortaſſéque in ipſo loco Sancto, aut quoquo modo ſanctificato) quæ per *Vota Publica* conſecrata Chriſto Sponſa fuerat, *in Templum ſanctum Domino, in ſacrarium Spiritûs ſancti*? Verbum breve, verum, ac decretorium eſt, judice Divino Paulo definiente litem, primâ ad Corinthios epiſtolâ, capite tertio *(V.)*; *Si quis Templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* Jam dudum igitur erat impuratus hic Nobilis in ſervitute, captivitatéque *Diaboli.*

XI. Cæterùm apparet, & apparebit magìs, ex iis, quæ mox dicã, *Puellam* illam, Deo Votam, interea temporis fuiſſe flagitii depacti factam pœnitentem; aut, fortaſſis etiam confeſſam illud, decreviſſe firmiter, fœdo ſuo propoſito, quod conceperat, penitùs abſtinere. Vel certè Deus, providentiſſimus ſimul, & ſuorum amantiſſimus, conſulere voluit Sanctitati loci, cæterarúmve, hujc Puellæ cohabitantium, & ſceleris tanti inſontium, bono nomini: ne tantum facinus in earum ſacri gynæcéi ſeptis, aut adnexo loco, perpetraretur; ob quod poſtea locus omnis incendio dignus, & fulmine, futurus erat, & infamiâ ſempiterna. Quâ ſanè providentia indulgentiáque, quis ambigat, Divinam bonitatem conſulturam etiam fuiſſe caſto ſanctóque nomini & famæ ſanctarum Virginum, ſibi deſponſarum, *Tharſilla & Æmiliana*, Divi *Gregorii* Magni

Sathanas Homicida.

Digitized by Google

gni Pontificis amitarum: ſiquid ſimile cohabitatrix earum, & germana, *Gordiana*, complere jam tunc opere voluiſſet; quæ poſt earum ſanctum obitum demum erupit in incontinentiam carnalem? (*X.*) Pari ratione videtur ergò Divina majeſtas præſcindere voluiſſe cauſſam infamiæ Loci & gynæconitidis iſtius, de qua jam dudum verba facimus. Videte enim (dilectiſſimi) & auribus animíſq; percipite, rem admirandam!

XII. Eques ille, cùm ad locum, in quo puella ei dilecta habitabat, ipſo noctis condictæ medio perveniſſet, plenus cogitatione facinoris futuri nefariâ; equúmque, quo ad vectus fuerat, ad palum aut arborem proximam deligâſſet, ad receptum: è veſtigio, ſuis cum Clavibus, ad extimam Portam, quæ circumducto muro inſerta erat, contendit; eámque reſerat. Aperturus deinde & Templi januam, cùm in propylæum, quod ædi ſacræ præſtructum erat, penetrâſſet: reperit, diductis utrimque jam antè valvis, ſeu oſtiorum alis, Ædem ſacram apertiſſimam: cunctáque intus lampadibus, cereis incenſis, ac flagrantibus funalibus, collucentia. multitudinem præterea linteatorum magnam, cantu lugubri *Defunctorum-Officium* peragentem.

Hîc ille (quanquam & audax admodum, & inſuper impius) conſternatur tamen: ac nihilo interim ſecius, versùs Templi Chorum progreditur, è propinquiori contemplaturus accuratiùs; Ecquid iſta ſibi vellent? circumlatíſque partem in omnem, & omnes in angulos, curioſis oculis, univerſum videt chorum & baſilicam illam ſacerdotibus ac cœnobitis redundare cantantibus, & circumfuſis ſandápilæ *Defuncti*, neſcio cujus, in medio chori conſtitutæ; erectæque ſitu admodum ſublimi: quæ etiam, ex mo-

Sathanas Homicida.

Digitized by Google

ex more funerum tegete pullâ veſtita, latè humum, defluentibus laciniis, inſtraverat. in ambitu verò ſandapilæ ſeu feretri illius, candelabra quàm plurima circumſtabant: &, præter candelabra, dadúchi ſive cereorum geſtatores; qui candelas ac faces accenſas, magno numero, nobilium exſequiarum ritu, vibrabant.

XIII. Quid poterat hic ſceleſtus, niſi graviùs ſemper graviúſque concuti? cùm præſertim ex omnibus illis presbyteris, monachis, cantoribus, ac linteatis miniſtris, nec unicum, meminiſſet, abs ſe viſum aliquando deſcriptúmve ſibi, in omni vita. Concipit tamen (ut præſidens erat) intermiſcendi ſeſe illis, quanquam ignotiſſimis, audaciam: & è ſacerdotibus nonneminem interrogat; *Cuiuſnam funeri iuſta illa fierent?* Is verò reſpondens; Fieri pro quodam equite, cujus etiam proprium nomen & cognomen addebat (erant autem illius ipſius; qui interrogaret, Equitis nomina, veluti, ſiquis verbi cauſsâ reſponderet, *Didaci de Velledas*) adjungebat quoque ſponte ſuâ cauſſam funebrium harum lamentationum; Equitem nempe illum, quem nominâſſet, eſſe vitâ functum: eíque ipſi, nec alii, parentari. Quem interfatus cum riſu Eques interrogator; *Atqui* (inquit) *adhuc vivit ac valet ille, quem tu nominas*, Eques: *& tu, mortuum credendo, hominem tam incolumen ac vegetum; vehementer erras.* Non erro; ſubjungit Sacerdos: quantum enim colligo, *Tu* ipſe *es Eques ille.* ſed, ſive ſis, ſive non ſis: id pro comperto habe; Equitem illum (atque adeò, *Teipſum*) eſſe jamjam Mortuum, átque etiam pòſt paullò ſepeliendum. Intérque verba hæc, ſacerdos, reſponſo defunctus ſuo, ad *Vigilias*, quas abruperat, *Mortuales*, & canticum, regreditur.

Sathanas Homicida.

tur. Miratur eques; quod audierat, ſuprà, quàm dici poteſt: facturúsque periculum, Num pariter & cæteri ſacerdotes ac cœnobitæ illi delirarent; accedit è Sacerdotibus alium, à prioris illius loco diſtantiorem. rogat; Eccujus hoc feretrum? cujus in eo Cadaver ſit? cuj ſuprema fiant, & exſequiæ? Diſcit. & audit ex hoc eadem, quæ paullò antè ex altero: totúſque attonitus, ac terrore formidoloſo plenus, *ſine Cruce* (quod vulgò dicimus) & *luſtrali aſpergine*, templo & cantoribus & exſequiis relictis, amarùm ſudans, ac feſtinatione magnâ, digreditur, & excedit.

XIV. Si ſceleſtus hic homo, vel ſcintillam aliquando Pietatis, ac Timoris Domini; habuiſſet! debuerant iſta, tam horrifica, ſive *Verba*, ſive *Spectacula*, concutere pectus ejus ſalutari motu; & inducere flagitioſum hominem, ad inchoandam aliquando Pœnitentiam: ut in faciem ſe ſuam, coram ſacris altaribus, multo cum lachrymarum imbre, proſterneret. Debuerant (inquam) permovere eum *Verba* duorum, tam affirmatè nominatímque aſſeverantium, *Ipſum eſſe Mortuum*, ac *paullo pòſt Sepeliendum*: ut (quantum quidem ad *Corporis* attineret interitum) cogitaret, *Noviſſimorum Hominis* ſuſceptâ recordatione; *En, moriar tamen aliquando, ſeriùs, ocyùs*; & ; quid tunc obſcœnæ me ſacrilegæque libidines adjuvabunt? Faciam ergò nunc potiùs, quod olim rex Ezechias, cùm ei dictum eſſet ab Iſaia (*Y.*) propheta; *Diſpone domui tuæ! quia morieris tu, & non vives. Et convertit Ezechias faciem ſuam ad parietem: & oravit, & flevit, fletu magno: & clamavit; Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.* (*Z.*) O, o, dilectiſſimi! ô, Si noſtrum aliqui, qui nunc in hoc

templo collecti ſumus, compertũm haberent, Hanc, in qua nunc vivimus, & loquimur iſta, vel audimus, *Quadrageſimam*, ipſorum Vitæ futuram eſſe ultimam: cúmque *Pſalmus* hic *Quinquageſimus* publico ſuo cum cantu, cùm jejunia ſacra, cùm devotio hæc annua, cùm verni temporis initium, cùm *Dominica Oculi*, cùm proximum hujc *Lætare*, recurrerint; ſe tunc temporis jam infra terram futuros, & animam ſuam in ſtatu Æternitatis (quantum ad gratiam, aut damnationem) incommutabili: ô, quàm (ſi modò vel paullulùm ſaperent) quàm nunc peccata ſua colligerent, deflerent, confiterentur, ad ſanctiſſima Sacramentorum myſteria frequentiſſimè, ad Pſalmum pœnitentiæ Davidicum quotidie, curſitarent? Utique tali tempore non ceſſarent: neque Vanitatibus aut oblectationibus Carnis, minimè Chriſtianis, indulgerent: ut (proh dolor!) cauponæ, multis in locis, horâ tali pleniores, eſſent quàm templa. Quantùm, inquam, ſi celerem ſuum ex hac vita exitum ſcirent, laborarent prudentes; ut, ſuo quiſque die, ſuáque horâ, in ſtatu Gratiæ emigrarent?

XV. Quantum verò ſpectabat ad *Animam*: debuerat *Eques* iſte ſceleratus, ſine dubio ulteriore, fidem adhibere, dicentibus, *Eum eſſe Mortuum*: ac firmiſſimè ſibi iſtud perſuadere, ſuámet eum conſcientiâ convincente: à qua liquidiſſimò redargui poterat, ac doceri, Se *Amore lethifero* corporis-Deodonati tenéri: ſéque, ad perpetrandum ſacrilegum ſceleſtiſſimúmque concubitum, in loco, domicilióque, ad Deum ſpectante, adeſſe tunc in templo, nullâ prorſus aliâ, niſi, Sceleris lethalis exſequendi, mente & intentione. Quomodo potuit igitur non in animum inducere, penitúſque perſuadiſſimum habere,

Sathanas Homicida.

habere, *Se verè iam Deo MORTVVM eſſe, & SEPELIENDVM*, cum epulone illo Evangelico, *in inferno*? (*AA.*) Sed nimirum (ô, miſeriam generis humani!) nimirum hic eſt ille, hic ipſe eſt Peccatorum plerorumque ac Peccarricum ſtupor, *Mortiferis* in *Culpis* (ſive unâ, ſive pluribus) conſtitutorum: quòd VIVENTES ſibi eſſe videãtur, ac tales videri aliis quoque omnibus velint; cùm nihil minùs tamen ſint, quàm id, quod videri cupiunt: nec poſſit infringi vel infirmari Spiritûs ſancti verbum, dicentis in Apocalypſi cuidam Peccatori; *Scio Opera tua, quia, nomen habes, quòd VIVAS; & MORTVVS es.* (*BB.*) O. dilecti! concedat hoc nobis miſericordia gratiáque Dei: ut noſtrûm (quotquot hîc ſumus) nemo, nec ego, nec vos, in ſtatu ſimus *Dilicti Lethiferi.* Quòd ſiquis tamen, è tanto numero, vel unus eſſet; ſi per divinam colluſtrationem oculos mentis noſtræ claros, apertos, & illuminatos haberemus: pròh, quãtam videremus fœditatem? quantopere hunc talem horreremus omnes? quantùm, & quàm procùl, ab eo profugeremus? ſi is præſertim *Sterquilinium* ſecum circumferret ac morticinum *Abominationum occultarum*, per vitam retrò univerſam nunquam expiatarum? Quid multis? *Sicut vulnerati* (&, jam tetrâ ſanie diffluentibus plagis,) *dormientes in ſepulchris: quorum non es memor amplius; & ipſi de manu tua* (miſericordi, & adjutrice; niſi reſipiſcendo cooperari ei velint) *repulſi ſunt.* ſic ſunt Peccatores, *Mortalibus* ſauciati confectíque plagis & ictibus: quorum, infelicitatem ſimùl, & horridam formam ſtatúmque, rex David expreſſit verbis iſtis, ex Pſalmo octogeſimo ſeptimo adductis. (CC.) Debuit itaque nequam hic eques, &

Sathanas Homicida.

Peccator grandis, aſſerentibus de *Morte* ſuâ, tam *Corporis*, quàm *Animæ*, fidem habere; ac reſipiſcere. Quid dicam, ſuper hæc omnia, de tam funebri & mortis pleno *Spectaculo*; quod potentius eſſe debuit ad penetrandum cor illius ferreum, quàm vel ipſa, quæ memoravi, *Verba*? Nónne formidine futurorum, ac peccatorum ſuorum amaro dolore tabeſcere debuerat, & colliquefieri? tandémq; vel ſic ſaltem à *Sathanæ Dominatu* jugóque extricari? *De Diaboli certè manu* (inquit Divus Gregorius Magnus) *non evaditur*; *niſi Citiùs*, (quam vocem, ſeu adverbium, *Celeritatis*, obſerves velim) *ad pœnitentiam recurratur.* (*DD.*) Sed videlicet, apud ſceleſtum hunc, neque *Verba* quidquam, neque *Spectacula*, profecerunt ad Emendationẽ: quin immò, fortaſſe nec incidit in mentem ille Pœnitudinis ulla cogitatio: ut adeò dicere Deus illi poſſet jure merito, quod per os & calamum Iſaiæ, Sancti vatis, expreſſit; *Miſereamur Impio* (abiiciendo illi formas & terrores, ad conſternandum ac configendum ſalutari timore & compunctione animum) *& non diſcet iuſtitiam. In terra Sanctorum, iniqua geſſit* (voluntate ſuâ pravâ, jam obfirmatè decretâ,) *& non videbit gloriam Domini.* (*EE.*) Unde mirandum nequaquam eſt, ſi *Sathanæ* adversùs eum *Dominatus*, exemplo tandem vulgò inſolito & inaudito, prævaluit.

XVI. Abit è Templo malè felix, & ſacrilegus *amator*, velut dixi; feſtinátque ad ſuum, quem deligâret, equum; recurſurus in municipium ſuum & arcem. inſcendit malis avibus, impellit jumentum; & calcaribus ac clamoribus illud incitare orditur. Sed, in via ſtatim *Canes duo Moloſſici*, vægrandes, & ebeno carbonéque nigriores, ſequi miſerum incipiunt,

Sathanas Homicida.

Digitized by Google

cipiunt, & utrimque ad latera ſtrictim comitari. Hos (ſiquis conjecturæ locus eſt) arbitrari licet, *Duos* fuiſſe nigros *Cuſtodes genios* ac Satellites, alterum *Equitis*; alterum, turpiter amatæ *Puellæ, Deo Votæ.* namque horum alterum, ac ſcilicet, amatorem ſacrilegum (ſi non & illam) ſuus utique jam deſeruerat *Cuſtos, Angelus* cœleſtus; inque locum ejus tantò fixiùs adhærere Succeſſor ejus, ſpiritus, inquam. *Tartareus* cœperat. Hos porrò ille, tam deformes & inconductos comites, ad noctis paulatim lucidioris & ſubluſtris qualemqualem, *ac malignum nitorem*, momento citiùs, & confeſtim notat: abigeréque clamoribus eos, equeſtríque inſultu, conatur. At nihil nec inclamando, nec increpitando, nec proturbando calcibus equinis, proficit. Gladium igitur diſtringit, &, ad utrumque latus circumacto impactóque ferro, pertinaces aſſeclas invadit. Et hi quidem, ad punctum, & per vices, abſceſſum ſimulant; ſed eàdem celeritate redeunt, manent, adhærent. Hoc decies, hoc vicies, hoc crebriùs repetitum: ut redeuntes repellerentur, & repulſi redirent: nequicquam fremente, fruſtra frendente, incaſſum, furente, vociferante, tonante, fulminante, minis, verberibus, dirarum omnium imprecationibus, Equite. Sic Moloſſi duo, moleſtiam continuabant: ſic Equiti moleſtia, volenti fuit nolentíque, toleranda viâ totâ; ídque ad arcis uſque, (quam ei *formido* tandem, *feſtinationis ſtimulus*, reddiderat) interiorem Portam. Hanc Eques pulſat: intromittitur: accurſant cum facibus famuli: vident, ac ſtupent, herum pavitantem, ſudore fluidum, cerâ vetere pallidiorem; & inter manus rapiunt in thalamum. Quid accidiſſet? rogant: & impetrant, ut exponat univerſam geſtæ rei ſeriem;

Sathanas Homicida.

riem; eum in modum, quem Charitati Veſtræ ipſe ego fusè ſatis explanavi, illíque poſtea, ſablato è vivis hero, ſuo, cæteris paſſim ex fide retulerunt. Peractâ narratione, & abſceſſum jam parantibus famulis, ad quietis ſpatium Domino concedendum: *Duo*, quos paullò antè comites habuerat, & tunc penitùs evanuiſſe, ſibi perſuaſerat, *Canes* tetri robuſtíque cubiculum irrumpunt Equitis: &, in lectũ ipſius inſultu capto, *Sathanicâ* rabie miſerum *Impœnitentémque*, opprimunt: oppreſſum, & fruſtra famulares ſuppetias inclamantem (quippe, de ſervis nullo contra Tartareas vires prævalente) concerpunt ac dilaniant.

XVII. Qui ſanè finis, ut plurimùm enormibus vel tyrannis, vel apoſtatis, vel Magis aliíſque inſignis nequitiæ Peccatoribus, ac Peccatricibus, ab omni retrò ævo, (ſi quis ſcrutari velit) obtigiſſe deprehendetur: quemadmodum docere nos poterunt Exempla *Iezabelis* tyrannæ, *Luciani* deſertoris Fidei, *Donatiſtarum* in Africa, *homicidæ* Epirotæ apud Plinium (*FF.*) Dynaſtæ ſeu *Reguli* cujuſdam Cattorum, ævo ſuperiore; *Galatæ* paſtoris immiſericordis & inhumani (*GG.*) *Ditizelês*, Bithynorum reginæ, immodeſtiùs laſcivientis [*HH.*] *Nobilis* item, ſed malæ vitæ, *mulieris*, apud Comitem Turrianum [*II.*]; & hujus ipſius denique, de quo loquimur, *Equitis Hiſpani*, quantùm genere, tantùm vitiis, nobilitati: ſive pacificæ hic, ſive bellicoſæ, ſive aliud quod Militiæ, ſeu ſacræ ſeu profanæ, culmen obtinuerit; in quo nequaquam eo morum ſplendore vixit, quo debuit: ſed infando libidinis cœno Equeſtrem ſuum Ordinem maculare conatus eſt, ac reipſa maculavit, tam fœdis & inconceſſis cupiditatibus diffluendo. Hic ergo *mercedem*

Sathanas Homicida.

cedem iniquitatis, quam oportuit, in Carne ſua incõtinenti *recepit*: mercedem, inquam, impudentibus ſuis moribus dignam, ab animalium impudentiſſimorum Formis ſeu Spectris. Quod enim *Divus Ambroſius*, de Geraſenorum apud S. Lucam [*KK.*] clade *porcinâ* & *Dæmonum* in *Sues* ingreſſu. dicit; *Niſi quis PORCI MORE vixiſſet, nunquam accepiſſet in eum Diabolus poteſtatem* [*LL.*]: idem quoque ſine controverſia de hoc *Equite* ſceleſto, aliiſque multis, *Canum* ſeu terreſtrium ac verorum, ſeu apparentium ac Tartareorum, morſu laniatis, dici verè queat; *Niſi hic MORE CANIS impudenter in ſacra ſe tecta templáq; ingeſſiſſet*, ut *daret* ac proſtitueret *Sanctum canibus*: nunquam in eum Cerberi Stygii *canina* rabies tantam ſæviendi licentiam nacta eſſet. Nimirum, non ſine cauſſa ſcriptum eſt, tam expreſsâ *canum* mentione, de *Laſcivis*, in Apocalypſi Ioannis, capite viceſimo ſecundo; *Foris* [extra templum ſcilicèt ac civitatem cœleſtis Ieroſolymæ] *Canes, & Impudici!* [*MM.*]

XVIII. Habemus igitur Exemplum *Iugi, Diabolici*, Dominatúſque ſævi, formidandum & horrificum: in quo *Sathanas*, poſt *Mortiferum Peccatum*, nocere Peccatori *voluit potuit*, ac *reipſa nocuit*. Habemus *Delicti Lethalis fructus peſtiferos*, Diabolum in faucibus, quas eliſit; Cerberos in Corpore, quod dilaniârunt; Aſmodæum in Anima, quam extruſit è vita, deduxítque ſecum in Tartarum. Verbo uno; *Sathanam Interfectorem*! & quare? Propter *Grande Peccatum* inchoatum, & *attentatum*. Non eſt enim, quòd hoc loco mihi dicas [non quidem paullò doctior quiſquam, ſed, rude vulgus, & cœleſtium ignara plebecula] non eſt, inquam, cur dicas; *Cogitavit hic Eques nefas iſtud*:

Sathanas Homicida.

ſtud: at opere non perpetravit; incepit, at non perfecit: egreſſus eſt, nondum tamen congreſſus. Hic enim ipſe, hic error eſt ille, hoc deliriũ plurimorũ, ſeipſos [non autem Deum] turpiter fallentium: qui, cùm Opus aliquod nefarium, voluntate licèt deliberatiſſimâ, ſunt aggreſſi [putâ, furtò ſublegere quantitatem ſatis notabilem aut magnam; uxoris alienæ, vel mulieris cujuſcunque, flagitioſam corruptelam; Proximi grande nocumentum, & his ſimilia peccata mortifera] poſtea caſu, vel vi, vel interventu aliorum, præpediti, ne ad *Operis conſummationem*, ſuarúmque cupiditatum vota, pervenirent, poſt omnia licèt tentata inceptáque: Os tergunt; ſeipſos colórant, nequitiámque palliant, dicendo, quod in Proverbiis ſacris adultera mulier illa; *Non ſum operata malum.* [NN.] ſic hi tales; *Quid eſt? Quid feci? qui tamen nihil perfeci?* qui tamen non imprægnavi, non vulneravi lethaliter, non occidi, non exſpoliavi? aliâſque, in hunc modum, ſtultas, delictorum ſuorum mortalium apologias apportant. Atque ſic, neque conteruntur unquam, pro peſſima quamvis Voluntate, qua *iniquitatem & conceperant, & parturiverant* [licèt ad partum plenum non perduxerint] neque ulli aliquando Secerdoti confitentur Sceleris deſtinationem tam deliberatam: Cùm tamen inter *Peccata Mortifera*, quæque hominem coràm Deo fœdè inquinant, Christus, rex noſter, exſertè nominaverit, etiam *Cogitationes Malas*, Matthæi capite decimo quinto [OO.]; & Sanctus Iſaias, de Salutis noſtræ lethalibus impedimentis, ex ore Dei loquens, clamet; *Auferte malum COGITATIONVM veſtrarum, ab oculis meis! lavamini* [ab his], *mundi eſtote!* [PP.] ac denique clarè conſonéque Theologi

logi doceant, & nominatim horum anteſignanus, Divus Thomas Aquinas, in Secunda Secundæ, quæſtione 110. articulo quarto [QQ.]; *Eum, qui* intendit *peccare mortaliter, ſemper peccare mortaliter*, immò etiam; *Omne quod ſit, propter peccatum mortale perpetrandum, eſſe & ipſum Mortale.* [*RR.*] Ideóque in hoc *Equite Celtiberico*, & tam crebra cum *Puella* illâ, *Deo nuncupatâ*, colloquia amatoria, & confœderatio de ſtupro ſacrilego, & clavium procurata fabrefactio, & iter illud flagitioſum, ac *Via Balaami* hujus [*SS.*] *perverſa*, bonóque Angelo *contraria*: omnéſque inter hæc libidinoſi ſacrilegíque viri moroſæ delectationes, ac deſideria facinoris explendi; *Peccata* [mi homo] *Peccata* fuêre *Mortalia*! ideóque minimè mirandũ; tam horribili eum pœnâ, & exitio, eradicatum, ab ipſo *Sathana Interfectore*, ſub formâ *Canum*. Clara namque eſt, nec infringi poteſt, Scripturæ Veritas, per Angelum Raphaëlem enuntiata, Tobiæ ſexto capite; *Hi qui Deum à ſe, & à ſua mente, excludunt, ut ſua Libidini vacent, ſicut equus & mulus: habet Poteſtatem ſuper eos Dæmonium.* [*TT.*] Hanc, allatam è cœlo, certiſſimæ Veritatis ſententiam, notent, & diligenter expendant, adversùs ſe latam, omnes, qui in moroſis cogitationibus Venerearum cupiditatum ſeſe volutant; & in conatu cujuſcunque turpitudinis mortiferæ, ſtudioſè ſciénterque verſantur. *Hi, ad Diaboli Dominatum ſpectant.*

XIX. Obſecro autem hîc omnes, quotquot præſentes nũc ſunt [quin & abſentes] per Chriſti JESV pretioſum Sanguinem, pérque charitatem & ſtudium Salutis uniuſcunque: ut rem ac veritatem tam ſeriam, [*De Diabolico iugo Dominatúq; in Peccatores, utriuſq; ſexûs, mortiferè delinquentes*] cre,

Sathanas Homicida.

brò, ſollicitè, ſerióque perpendant; ne experiri eam ſerò tandem, & *in morte* primùm, cogantur *angoribus ſuis deſperabundis*: quemadmodum, Deo dante, poſt octiduum de Formidabili cujuſdam MORTE NATVRALI, narrabimus & audiemus. Rogo quoque; Ne, *Exempla* hæc, quæ modò retuli, conſiderantes, *Paradoxa Valde* eſſe, atque è decem aut viginti millibus *Vix Vni* alicui contingere, vel contigiſſe, reputantes: idcirco ſe credant, Uno vel pluribus admiſſis *Peccatis Lethalibus*, adhuc liberos eſſe *Dominatu iugóve Sathanico*: propterea, quòd *aſpectabili* forma *Diabolum* nunquam nec videant, nec fortaſſis ante mortem viſuri ſibi videantur. Ipſe enim ego [dilectiſſimi] libenter ac ſpontè fateor: *Paucis* admodum Peccatoribus *ante vitæ* supremam horam, *Dæmonas* offerri *ſpectabiles.* Idem ego tamen dico, & clamo; Innumeris Diabolos præſtò eſſe, *per Effectus ſuos*, & Damna maláque graviſſima: quæ, licèt non viſi, crudeliter tamen inferunt, & infligunt iis hominibus, atque Domibus, in quibus *Peccatorum Mortalium* & *Impietatis* regnum viget. Nam alioquin, Unde [quæſo] niſi à maledictis illis Spiritibus, proveniret? ut Incendia ſubinde [nullo comperto flamarũ auctore] ut fulmina, ut morbi, medicis prorſus inſcrutabiles; ut ſtrages item ſegetum, pecorum, infantium, domeſticorum; ut nocturni tumultus ac ſpectra, ſubitæ mortes, rixæ, cædes, deſperationes, ſuimet interfectiones, paupertas inter maximos labores inexpugnabilis, & infortuniorum omne genus, antè, retrò, deorſum, ſurſum atque ad latera & circumquaque, emergerent ac dominarentur?

XX. Velut, Exempli gratiâ [quod è promiſſis TERTIVM eſto] Ruſticus, in agro ſuo mergites colligans,

Sathanas Homicida.

Digitized by Google

colligans, æſtatis ac meſſis tempore, in pueri filii, ſeriùs ad laborem venientis, caput glebam terream, latente intus ponderoſo ſaxo gravidam, coniecit. Puérque è veſtigio exſpiravit. Territus infelix pater, mergitibus eum tegit: ac, domum abiens, inter cogitationes deſperationis pleniſſimas, in horreo ſuomet, reſti vitam & ſuſpendio finit. Uxor puerpera, infantulum, nuperrimè editum, lavans ſimul & lactans; intellecto per quendam [qui horreum eodem tempore intrarârat] mariti ſui ſuſpendio, præ terroris impotentiâ, exſilit, nec, quid ageret, advertens, dimittit è ſinu ſuo lactentem parvulum, modò lotum; qui defluit è maternis brachiis, & lapſus in ſubjecti lavacri ſolium, continuò ſubmergitur. Ipſa, nullo horum animadverſo, procurrit in horreum: atque, oculis hauſto mariti pendentis terrifico ſpectaculo, mox in hypocauſtum recurrit ſuum. ubi, dum lavacro jam demerſum & extinctum filiolum deprehendit, mœrore nubiláque mente ſuperatur ipſa quoque: recurrit in horreum: obdito foribus peſſulo, portæque repagulis oppanſis, includit ſe: continuóque, juxta Virum ſuum, ſeſe illaqueat, ac perit. [*VV.*] Deus bone! Deus juſte! peccatorúmque Vindex in mille millia! Undénam hæc, quæſo [quæ tamen in pago *Beauſſao* parentum noſtrorum memoriâ, veriiſſimè contigerunt] Unde hæc [inquam] & horũ alia ſimillima, nec pauca, cumulata tragœdiarum infortunia? quónam plerumque ex fonte? Siqua prudenter conjectantibus fides eſt; revera plerumq; à *Diabolo*, illic [inaſpectabili præſentiâ] dominatũ exercente: *A Spiritibus, in Vindictam creatis, & in furore ſuo tormenta confirmantibus*, [XX.] breviter! *A Sathana truculento*, qui *Homicida erat ab initio*,

Sathanas Homicidas.

inito, (YY.) & manebit ad uſque mundi finem. Et undénam hoc tantum illi, contra mortales, & in eorum Domos ac ſubſtantiam, imperium? Unde, quæſo? niſi primò quidem à juſta Numinis *permiſſione*; ſine qua nihil valeret, nihil efficeret, *Sathanas*: velut ex *Iobi* capite primo ac ſecundo clarũ eſt. Ab affinitate deinde, propinquitate, ſimilitudine, ac vicinia, quam innumeri mortales habent cum eo: tanquam cum illo planè ſocietatem coiſſent, & modios Salis multos conſumpſiſſent, in omni pravitatis conſortio. Plurimæ namque domus, propter incredibilem impietatem ſuam, ſimiles fiunt *Priſcæ* illi *Babyloni*, quæ, teſte Divi-Joannis Apocalyſi (*ZZ.*), *Facta eſt habitatio Dæmoniorum, & cuſtodia omnis Spiritûs immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ & odibilis.* & quare? quia Babylon eſt, ſeu *Babel*, quæ eſt, *Confuſio* ſive *Commixtio* rerum omnium; & diſtemperatio conturbatióque conſcientiarum: liberorum nulla penitùs ad ſanctos mores educatio: potiùs autem è contrario, ad omnem Vitæ pravitatem inſtitutio: pietatis uſque adeò parva tenuíſque cura, ut feſtis dominicíſque per annum diebus, nec famulitia mittantur unquam, aut urgeantur, ad divina: & patres ipſi matréſque familiâs, luce tali, vix profundo jam antemeridiano die, de lecto, ad Sacrum ultimum prorepent, limacibus tardiores. nulla manè, nulla veſperi; nulla antè, vel poſt, refectionem corporum, oratio. In domibus, ſuper menſas, & extra eas, ſermones obſcœniſſimâ tupitudine referti: blaſphemiæ juges, pluſquam gentilium & Zingarorum: fœdarum in animo cogitationum ruminationes, diebus ac noctibus continuatæ: affectiones intentionéſque, omni lacunâ mephi-

Digitized by Google

mephitíque ſputciores: matrimonii ſancti, thoríque immaculati, nulla verecundia, nulla reverentia, rubórque pudibundus; nec coram filiis ac filiabus, nec in oculis ſervorum, ancillarum, hoſpitum aut vicinorum. Fraudes, ac circumſcriptiones, injuſtitiæ, in pondere, menſurâ, ulnis, liquido, per quæcunque mercimoniorum & cauponationum genera: parandarum per fas ac nefas opum inexplebile ſtudium, per dies & annos: injuſtè verò partorum tenax & indivulſus incubitus, donec injuſtos poſſeſſores ab his amara mors avellat; *in Tartarum*, cum graviſſimo rapinarum ſuarum pondere, *devolvendos*. non Dei interim, inter tot aliena furtiváque bona, non hominum, non Gehennæ, metus: in ore dolus merus, impoſtura, perfidia, mendacium, perjurium. Adhæc ebrietas, gula, commiſſationes, crapulæ, jejuniorum Eccleſiæ comtemptus & irriſio. præterea, Divinationes, ſortilegia, ſuperſtitiones, ſemihæreticus ſpiritus, vetiti ſub Excommunicationis cenſura codices, ac ſæpe, Scriptores etiam hæreſiarchæ: Libri Venerei, turpitudinéſque ſpurcas ex profeſſo tractantes. Tum, infanda Carnis ſcelera; peccata, digna flammis; Abominationes, & Innaturalitates, à multis retrorſum annis occultæ & occultatæ; Immunditiæ, in omnibus domûs talis conclavibus, cubiculis, angulis; infantulorum homicidia; procurati Abortus: quin & ipſa ſæpe plurimorum annorum (tanquã conjugalis) cohabitatio; non *matrimonium* revera, ſed *adulterium* perpetuum & continuatum; cum *Impedimento* videlicet *Dirimente*; ídque ipsíſmet, qui ſic cohabitant, non ignorantibus, ſed ſtudioſiſſimè tegentibus: & nihiloſecius, ad versùs omnem conſcien-

tiæ reclamantis tumultum, thoro nefario (tanquã vel maximè legitimo) quoties lubet, utentibus; quod tunc, exempli gratiâ, (neque rariſſimè) fit, quando ſibi ſub pacto mutuo. *perfecti* per omnia *Adulterii, ex utraque* complicis *parte completi,* ſpoponderunt: cùm adhuc tamen uterque, aut eorum ſaltem alteruter, eſſent in matrimonio priore, & alio, eóque legitimo; quemadmodum *Paulinus* & *Caſtelperſia* fecerunt.

XXI. Rebus igitur, in *Domo* aliquâ, tam ſcelerratè abominandéque conſtitutis, ſicut nunc per ſeriem, ac fusè, retuli: mirari potes adhuc, dilectiſſime; Undénam tot ac tam multiplicia, vel è tuis, vel è cujuſvis alterius, diſſolutiſſimè viventis. ædibus infortunia, tanto cumulo prorumpant? Nimirum, à *Dominante* illic *Diabolo.* Miraris, inviſibiliter ibi *Sathanam* exercere tyrannidem? nempe, *Dominus receſſit à loco illo: & invaſit eum Spiritus Dei malus*; velut de *Saule* impio ſacra pagina (*AAA.*) teſtatur. Ubi Deus non eſt, Diabolus eſt: ubi Domini *Benedictio* deeſt & exulat; ibi *Maledictio* regnum habet. Ubi *Salvator & ſalus* (tanquam in Zacchæi ædibus) non hoſpitantur; ibi *Sathanas Homicida* principatur. *Domûs* enim hujuſcemodi, habitatores & inquilini, *de manu tua,* Domine, *repulſi ſunt: quorum non es memor amplius* (*BBB.*): *& non dixerunt, qui prateribant; Benedictio Domini ſuper vos!* (*CCC.*) O, Cœlum! ô, Angeli! ô magne Deus! averte clementer à nobis hanc, à facie tua projectæ, *Babylonis,* ac *Domuum Babylonicarum,* Maledictionem.

Atque hæc habui quæ Charitati veſtræ, ex promiſſo, recenſerem & exponerem, *De tyrannico Sathanæ homicidæ* in Peccatores *Dominatu*: quo, ſicubi

cubi nocere (Deo prohibente) non poteſt; nocere tamen vult, ac perterret: velut in Thoma cœnobita fecit. Sicubi verò poteſt, ac permittitur; nocet graviſſimè, ſive formâ veſtitus ſpectabili; quo pacto, *Celtibericum* illum, de quo narravi, *Equitem*, caninis morſibus interfecit: ſive, per *Effectus* & *Damna grandia*, quibus præſentiam ſuam inviſibilem pernicie viſibili teſtatam efficiat: quemadmodum in *agricula*, quem dixi, iſto, domeſticiſque ejus infelicibus, demonſtravit.

TESTIMONIA.

[A.] *Apud Hieronymum Lauretum, in Sylva Allegoriarum* [B.] *apud Cornelium à Lapide, in c. 12. epiſtola ad Hebræos, v. 4.* [C.] *Ioan. cap. 4 verſ. 48.* [D.] *ad Romanos cap. 1. verſ. 14.* [E.] *germanicè* Kopffſtuck/ Fünffbätzner. [F.] *Martinus Delrius l. 2. diſquiſitionum magicarum, quæſt. 28. Sect. 3. ad init.* [G.] *cap. 39. verſ. 33.* [H.] *Matthæi cap. 5. à verſ. 23.* [I.] *Tomo X. operum S. Auguſtini.* [K.] *Apocalypſ. 12. verſ. 12.* [L.] *apud Thomam Hybernicum, citatus, V. Diabolus.* [M.] *cap. 4. verſ. 26.* [N.] *Tobiæ cap. 3. verſ. 8.* [O.] *Alexander ab Alexandro, Genial. dierum lib. 4. cap. 19.* [P.] *verſ. 4.* [Q.] *Ioann. 13. verſ. 27. 28. 29. 30.* [R.] *Lucæ. 8. verſ. 2.* [S.] *verſ. 19.* [T.] *verſ. 8.* [V.] *verſ. 17.* [X.] *vide S. Gregor. Magnum lib. 4. Dialogor. cap. 16. & homil. 38. in Evangelia.* [Y.] *Iſaiæ 38. verſ. 1. & ſeqq.* [Z.] *Iſaiæ cap. 38. verſ. 15.* [AA.] *Lucæ cap. 16. verſ. 22.* [BB.] *cap. 3. verſ. 1.* [CC.] *verſ. 6.* [DD.] *lib. 1. moral. in Iob.* [EE.] *Iſaiæ cap. 26. verſ. 10.* [FF.] *Plinius lib. 8.*

lib. 8. cap. 40. (GG.) *Sophronius Prati ſpiritual. cap. 167.* (HH.) *Conrad Geſſnerus lib. 1. de quadrupedib. titulo, De Canibus defenſoribus.* (II.) *Inſtructionum, ad filias, cap. 15.* (KK.) *Luca 8. v. 23.* (LL.) *Commentar. ſuper Lucam.* (MM.) *cap. 22. verſ. 15.* (NN.) *cap. 30. verſ. 20.* (OO.) *verſ. 19.* (PP.) *Iſai. cap. 1. verſ. 16.* (QQ) *in corpore.* (RR.) *S. Thom. ibid. & 1. 2. quaſt. 88. art. 2. 4. 6. in corp.* (SS.) *Numeror. 22. verſ. 32.* (TT.) *verſu 17.* (VV.) *Gazophylacium memorabilium Saculi 1500. & 1600. Parte 1. Titul. de admirandis & horribilibus Caſibus.* (XX.) *Eccleſiaſtici 39. verſ. 33.* (YY.) *Ioann. 8. verſ. 44.* (ZZ.) *cap. 18. verſ. 2.* (AAA.) *1. reg. cap. 18. v. 10.* (BBB.) *pſ. 87. v. 6.* (CCC.) *pſal. 128. verſ. 8.*

Peſtiferorum Peccati Mortalis Fructuum.

EXEMPLVM TRAGICVM V.

PRESBYTER LIZINIACENSIS.

Peccata Mortifera Fructum producere, ſub Exitum Vita, Deſperationem: aternaq; ſubſecutura Pœna Arrham; ac nonnullum Damnationis Praiudicium.

Dictum 19. Martii, ſeu, Dominicâ IV. Quadrageſimæ, Veſperi.

1. MOR-

I. MORTIFERE peccantibus, & (ſicut frequenter uſúvenit) præſentium inſuper rerum diuturnâ proſperitate fruentibus, in mentem venire nonnunquam contingit; FALSA eſſe ea omnia, quæ de *Diaboli* in Peccatorem *iugo*, tyrannicóq; furore, à piis denuntiantur: & quæ proximè ego ipſe, hoc loco, ſuper Temporali *Domûs maledictione*; déque multiplicium infelicitatum Babylonica congerie, propter inhabitantem ac regnantem, in ædibus Impiorum, *Diabolum*, diſputavi. Dicunt itaque ſecummet ipſi eruditatis hujus mortales; Ecce, hæc omnia, & his plura, contra præcepta dominica perpetravi: & tamen (quæ verba Salomon olim ad Hiram, Tyri regem, ſed alio longè ſenſu, dixit aut ſcripſit) *requiem dedit Deus mihi, per circuitum: & non eſt SATHAN, neq; occurſus malus.* Itaque DVLCES ſalubréſque videntur illis, & nequaquam *amari* PESTIFERIQUE, *Peccatorum mortalium*, de quibus egimus agemúſque, FRUCTUS: nec ex his LUCTUM unquam ſibi, ſed ſempiternum LÆTARE quoddam, imaginantur homines tales, in ſtatu *Lethalium ſcelerum* conſtitui.

II. Demus igitur, ejuſmodi ſceleratorum aliquem, ſic, in habitu multitudinéque peccatorum ſuorum, annos vitæ quàm plurimos extrahere! non feriatur unquam gladio ſecuríve, ſicut *Protaſius*, Arimanorum Princeps: non torreatur flammis carnificum, ſicut *Paulus Daiſachius*: non trucidetur in ſcelere flagranti, ſicut *Paulinus*, *Panatius*, & *Caſtelperſia*: non ſtranguletur, nec diſcerpatur à Canibus Tartareis; ſicut *Eques* nuperus *Hiſpanus*: non irruant in domum illius, uno die, vel menſe,

ſe, vel anno, ſexcentæ calamitates, à *Diabolo* ſuſcitatæ, in ſignum ac teſtimonium *Dominatûs* ſuâ ſuper *Peccatorem*: denique vigeat, floreat, glorietur, & criſtas erigat, in annos deliſtorum ſuorum, viginti, triginta, quinquaginta, ſexaginta, octoginta, & ultrà! Sed, quid dicit divinum verbum? Unum, Unum, effugere non poterit, *quod ſtatutum eſt* omnibus *hominibus*. (*B.*). Quid dicit, inquam, Scriptura? *Dulce* (quidem) *Lumen* (præſentis proſperitatis, amœnæq; vitæ) *& delectabile eſt oculis, videre Solem* (Veruntamen) *ſi annis multis vixerit homo, & in his omnibus* LÆTATUS *fuerit: meminiſſe debet* TENEBROSI *temporis, & dierum multorum* (æternitatis; cujus ſolius tunc demum clarè nimis apprehendetur longitudo, multitudóque, ut ſic loquar, dierum: &, præ qua, *Dies* omnes vitæ præteritæ, non niſi fumus fugiens, & momentum ac MODICUM Evangelicum, apparebunt) *qui cùm venerint, Vanitatis arguentur Præterita.* (*C.*).

III. Hoc in commune quidem Omnibus continget, qui in *Via cordis ſui*, & non *in ſemita mandatorum Dei*, ambulaverunt: FRUCTUS utique Peccatorum *AMARISSIMVS*, ſicut ſcriptum eſt; O, *Mors! quàm* AMARA *eſt* vel ſola etiam) *Memoria tua, homini, Pacem habenti in ſubſtantiis ſuis*! (*D.*) Eſſet, inquam, hic *Fructus Peccati* vel ſolus, metuendus ſatis, ac ſufficiens, ad deterrendum tandem aliquando gravioribus à Peccatis hominem. Sed enim vero, ſingulatim, ac præ cæteris, TENEBROSUM TEMPUS illud *Mortis* (etiam NATURALIS) caliginoſius, acerbius, nigrius, formidabilius, & angorum omnium refertius, obtinget iis; qui

Digitized by Google

qui ſub tale, *ex quo pendet Æternitas*, horæ *momentum*, premente adigentéque *Peccatorum valde Enormium*, & innumerabilium, multitudine; corruent in DESPERATIONIS præcipitium: & unà pariterque, confeſtim, in Vallem illam incommutabilis termini, per *Mortem Temporalem*: ſicut profectò (ne quis ſibi metuendum tale quid nunquam putet) eorum hominum ex utroque ſexu, non exiguus eſt numerus, qui, ſic in *Morte* ſua *Naturali* deſperantes, æternùm perierunt.

IV. Cujus tamen tanti tàmque inemendabilis mali *Quantitas* & *Qualitas*, ut intelligatur pleniùs; ſimúlque eàdem operâ appareat; de qualinam *Deſperatione* mihi ſermo ſit futurus hodie: diligenter obſervandum tenendúmque, divinis è Scripturis, & Eccleſiaſticâ hiſtoriâ; TRIPLEX eſſe DESPERATIONIS genus. PRIMUM, quando, & quâ Homo ſceleratus, adhuc ſanus ac valens, uſque adeò præſentium rerum illicitæ delectationi, & quidlibet agendi licentiæ, ſeſe immergit; ut neque curet, neque ſperet, *Bonorum Cœleſtium* conſecutionem. ideóque vellent tales (quantum in ipſis eſt,) in hoc Sæculo eſſe Sempiterni, cum Peccatis, & gaudiis ſuis inconceſſis: & ob hanc *Deſperationem* æternæ Vitæ Cœleſtis, tantò ſe deinceps impenſiùs tradunt & vænundant omni mentis ſuæ corporíſq; libidini. Hujus generis mortalium, ſic deſcripto modo *Deſperantium*, hodie quoque, (poſt tam corroboratum licèt jam, per tot ſæcula, cœleſtis *Spei* lumen) innumeri ſunt: & erant quondam hujus farinæ illi, de quibus ad Epheſios loquitur Divus Paulus, capite quarto; (*E.*) *Alienati à via Dei: qui* DESPERANTES, *ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ*,

Presbyter Liziniacenſis.

in operationem immunditiæ Omnis ; *in avaritiam* (& injuſtè partorum congeriem ac retentionem): id, quod plerumque faciunt illi, qui *Fidem* quoque pariter non habent; aut habitam aliquando, per apoſtaſiam vel relapſum in incredulitatem, perdiderunt. Atque de his non loquor hodie: quoniam iſta nondum eſt *Deſperatio* FINALIS (ut appellant) & *Irrevocabilis*. poſſunt enim, qui in ea ſunt, adhuc ab ea, Deo opitulante dexterámque clementem porrigente, reſurgere; ad cœleſtia erigi, & aſpirare: atque ſic Salutem, per Pœnitentiam, & *Spei* reparationem, cæteráſque neceſſarias virtutes, adipiſci.

V. SECUNDUM genus DESPERATIONIS eſt; quo, & quando, Homo vel peccatorum ſuorum, vel ingruentium calamitatum preſſus multitudine magnitudinéve, ſpem omnem abjicit, aut Salutis à Deo conſequendæ, aut evadendæ temporalis miſeriæ vel opprobrii: ideóque mortẽ ipſiſibi conſciſcit violentam:atq; in hũc modũ, mavult illic, in omnia perennis ævi ſæcula, undequaque *miſerrimus*, quàm hîc, ad aliquantum adhuc temporis, *miſer* eſſe. Quo pacto deſperârunt, *Achitophel*; pudore ſpretæ, vel poſtpoſitæ, in concilio, ſententiæ ſuæ, ſeipſum ſuſpendio necans (*F.*): Rex *Saul*, ob Philiſtæos, ſibi imminentes, gladio incumbens (*G.*): *Iudas*, Chriſti proditor, deſperatione veniæ conſequendæ, ſeipſum laqueo præfocans (*H.*): *Lubecenſis*-Conſulis nequam filius, viduâ matre pedibus proculcatâ, ſcortóque diu, cum infamia publica, cohabitans; qui cultro denique culinario, in adverſum parietem inſerto, ſibíque obverſo, cum impetu ſe induit, pectus ſibi ſceleratum tranſverberans (*I.*) Sed neque de hac, omnium

Digitized by Google

omnium ſceleſtiſſimâ, Deſperatione loquor hodie quoniam mihi ſermo eſt, de MROTE, non *violentâ*, ſed NATURALI, quæ conjuncta cum *Deſperatione* ſit.

VI. TERTIUM itaque DESPERATIONIS genus eſt, & ejus quidem æquè FINALIS: quo, & quando, homo eo ipſo temporis articulo, quo virtutes tres Theologicas vel maximè exercere deberet, ad beatam æternitatem lucrifaciendam; ipſe è contrario cuncta deſtruit & evertit; ipſámq; adeò ſanctæ *Spei anchorã* ſponte ſuâ, ſuiſmet manibus, præcidit & abjicit: mente (& interdũ, ore ſimul) negat, *Se Salvum, vel fore, vel fieri poſſe*; & prudens ſciens de Miſericordia Dei fiduciam prorſus omnem projicit, atque ejurat. Quod Theologi, & in his nominatim Adamus Tannerus (*K.*), Opus eſſe, dicunt, & Pœnam quandam, *Permiſſionis Dei Particularis, quâ Anima, etiam ante Inſtans mortis, ſinitur in Deſperationem labi*: ut ſibi jam tunc Judicata videatur & Condemnata; ac, pro tali, ſe diffamet. nonnunquam verò, etiam particulam ſupplicii ſempiterni jam prægustet ac percipiat, in hac vita: quod (ut loco quodam Leſſius ait, in ſimili) quædam eſt *arrha* ſempiternæ *Damnationis* (*L.*): & hoc quidem idcirco, *Vt* (quæ verba Tanneri ſunt) *ſuo Exemplo alios terreant.*

VII. De hoc poſtremo ac tertio DESPERATIONIS genere, loquor hodie: quod omnibus enormibus Peccatoribus poteſt, ac Peccatricibus, evenire: reipsáque quàm plurimis evénit, quorum exempla memorantur, à Divo Gregorio Magno, Dialogorum libro quarto, capite tricesimo octavo; à Venerabili Beda, libro quinto hiſtoriæ Anglicanæ, capite 14. & 15; à Sancto Joanne, quem

Presbyter Liziniacenſis.

Climacum cognominant, Libro de 30. gradibus, gradu ſeptimo; à Cæſario, libro ſecundo, capite ſexto, & ab aliis non paucis. Mihi, ſeligere placuit Paradigma, quod, ſicut illis pleriſque recentius, ſic fortaſſis & terribilius eſt: quódque accidit circa tempora Divi Bernardi, Claræ vallenſis Abbatis, ac prope Salutis annum milleſimum centeſimum viceſimum ſextum. Deſcribitur autem à Viro, cujus teſtimonium omni exceptione majus eſt & irrefragabile; *Petro* inquam *Maturitio*, cognomento, *Venerabili*; &, cuj Bibliotheca Magna Veterum Patrum, operâ doctiſſimorum, in alma Univerſitate Colonienſi, Theologorum edita, tomi duodecimi parte alterâ (*M.*) *Sancti* titulum, toto paſim libro, ex editione Martini Marrieri, Pariſienſis cœnobitæ, & Andreæ Quercetani, Turonenſis, præfigit; incertum, utrum aliquâ Sedis altioris auctoritate? an ſolo veterum, ac manuſcriptorum codicũ, quodam conſenſu? Fuit autem *Petrus* iſte *Venerabilis*, (Baronii, Spondaníque, breviatoris ejus, teſtimonio (N.); *nobilis Aquitannus, patriâ Arvernenſis, uſu rerum peritiſſimus: quique ex militiâ (O.), quam ſumma gloriâ adminiſtraverat, Cluniacenſibus ſe monachis addixerat; moribus atque doctrinâ conſpicuus*, & illius tandem monaſterii, (quod Ordinis eſt Divi Benedicti, in territorio Matisconenſi (gubernaculis, ſummâ cum poteſtate, præpoſitus: cujus etiam Scripta, inter reliquos Eccleſiæ Patrum libros, tanquam omni fide digna, doctrínæque ſanctitate celebria, numerantur, ac leguntur. Hujus ergo auctoritati indubitatæ, hiſtoríæque narrationi, quam is *libro Miraculorum primo*, capite viceſimo, quinto, refert, hæc quoque narratio mea innitetur: quæ,

Petri

Presbyter Liziniacenſis.

Petri ipſius (ut plurimùm) verbis inſiſtens, talis eſt.

VIII. *Apud Caſtrum Liziniácum* (quòd hodie, LUSIGNANUM, haud abs re, eſſe creditur) in territorio Pictavenſi (*P.*) Aquitanicæ Provinciæ, *fuit nuper*, inquit Petrus (hoc eſt; non multò, antequam iſta poſteris traderet Scriptor hic) *Vir quidam.* Statum hujus *viri*, vitæque conditionem, exprimere fortaſſis dubitarem; ſi eos habere auditores, qui hominis hujus, ejúſque morum, ſimilitudinem referrent, improbitate vitæ: ne in eo, quod reprehenſurus in peregrino, pridémque mortuo, ſum; ſe potiùs ipſos, vivos etiamnum ac præſentes, deſcribi taxaríque ſuſpicarentur. Sed, cùm hujus rei periculum ſit nullum; non verebor, appertè confiteri, *Presbyterum* eum, ſeu *Sacerdotem*, fuiſſe: in quo diutiùs non immorabor; ſed potiùs, pro inſtituto meo more, *primùm*, Quibus in rebus ille, quámque graviter, peccârit: *deinde*, Peccatorum ejus *peſtiferos Fructus*, ac pœnas, explanabo.

IX. Fuerunt autem illius Peccata, eáque publica (præter occulta, quæ ſolus novit Deus, quæque magno illo decretorii judicii die publicaturus eſt) *quòd Sacerdotalis* (ut loquitur auctor) *ordinis ſupercœleſtem dignitatem, miſerrima vita converſatione deturpans, non ad animarum, quibus præerat, curam, ſed ad Carnis ſua Voluptatem explendam, ſacro miniſterio utebatur. Lac gregis ſui comedens, & eius ſe lanis operiens, abſque ulla ſpe æternorum, mercedibus mercenarii avidiſſimè paſcebatur; Mundiſſimam, atque omnia mundantem, Chriſti Carnem & Sanguinem, in altaris Sacramento, frequenter, officio, non devotione ſumebat: nec ab immundis tamen Carnis operibus ſeſe cohibebat.*

 X. Hoc

Presbyter Liziniacenſis,

X. Hoc, Compendium eſt Peccatorum illius *Viri*, & Statûs ejus peccaminoſi: qui, citra dubitationem ullam, *Lethalis* erat; ex Inquinamentis maximè *Carnis*, tametſi ne Sacerdos quidem fuiſſet: cùm, dè quovis hominum ſtatu, clamet Paulus Apoſtolus; *Hoc ſcitote intelligentes, quòd Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei* (Q.): Quæ vitia tamen omnia, in hoc homine vigebant, ac dominabantur: & ideo in *Statu* erat aſſiduo *Peccatorum Lethalium.* Accedebat his vitæ Venereæ ſordibus, *Oviculurum Nulla cura*, quò Salutem cõſequerentur (quæ tamen Socordia, tam ſupina,, etiam ipſa *Mortifera* pronuntiatur, Ezechielis capite trigeſimo tertio, verſibus, ſexto & octavo: verbis præſertim illis; *Sanguinem eius de manu tua requiram*) ſed totus hominis animus demerſus erat, in mercenaria corradendorum & congerendorum reddituum, decimarum, ac *Stola* (quam vocant) accumulatiône. Apparet igitur ex his; Eum jam tum ab initio, non illâ *intentione* ac ſanctâ mente ſuſcepiſſe *Statum* hunc *Excelſum*, quâ intentione & ſanctitate, ſolumodo, ſuſcipiendus ab omnibus eſt: &, ſi ſic non ſuſcipiatur, ſed depravato propoſito; deplorandum ſortietur exitum, juxta Chriſti illud; *Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus Cœleſtis, eradicabitur.* (*R.*) Et quænam igitur eſt *Intentio* illa, quæ ſola requiritur, in ſuſceptione Sacerdotii? Hæc: UT IN TERRIS *vitam inſtituat, & miniſterium obeat*, ANGELORUM IN COELIS: *Vitam*, ſicut Angeli, puram, ac per omnia Spiritalem: *Miniſterium*, ſicut Angelorum; qui Salutem hominum indefeſſè quærunt, utpote, *in miniſterium miſſi, propter*

Presbyter Liziniacenſis.

Digitized by Google

pter eos, qui hæreditatem capient ſalutis (*S.*): & tamen ſine ceſſatione *vident faciem Patris* cœleſtis (*T.*), eorúmque *converſatio in cœlis eſt*. Hæc inquam, hæc ſola puráque, nec alia, mens eſſe debet, ſuſcipiendi, ac poſt ſuſceptionem obeundi, Sacerdotii: ut, quisquis es, vivas ac miniſtres, in Eccleſia militante, *ſicut Angelus*, ac prorſus Angelicè: quemadmodum & Sanctus Malachias affirmat, de Sacerdotis doctrina ac prædicatione loquens, tanquam in Oraculum populis propoſitâ, & cauſſam reddens, Cur ab ejus ore lex requirenda ſit? *Quia* ANGELUS, inquit *Domini exercituum eſt*. (*V.*)

XI. Qui veſtrum igitur (dilectiſſimi) *non* hac *Intentionis* munditie ſuſcipere ſanctiſſimũ hoc munus cogitant; aut coactu potiùs parentum egentium quàm ſuámet ſanctâ voluntate. qui divitias, commoditates, & otioſam vitam, ſub hac ſacerrima profeſſione, quæritis: deſiſtite (rogo vos) deſiſtite jam nunc, dum tempus eſt, & propoſiti veſtri vela mutate; priuſquam incurratis (unà cum parentibus veſtris, vos cogentibus, & cum omni cognatione veſtra, vos inſtigante) in illud grande dedecus, luctum, & interitum, in quem his annis eos incurriſſe vidimus, qui olim hîc vobiſcum in hac *Deiparæ Virginis* Eccleſia, tanquã & ipſi *Filii Eccleſiæ*, ſedebant & agebant: nunc autem, vel medios inter hæreticos hæretici, vel (quod nefandius eſt) hæreſum doctores ipſi; & ſuo aliquando tempore (niſi ſeriò reſipiſcant) in Gehenna ſeſſuri ſunt: *quorum Nomina*, vobis notiſſima, tantiſper nunc *ſcriptæ ſunt in Libro* Mortis. Quòd ſi verò ex nobis nonnulli, non habitâ quondam tam ſanctâ *Intentione*, Sacerdotes jam eſſemus; cùm *Status* iſte ſit *In*-

Digitized by Google

commutabilis: ſaltem id nunc agamus, ut frequenter, immò ſingulis horis, ac pæne momentis, Divi penſemus Ambroſii, Mediolanenſis Epiſcopi, ſententiam illam divinam, epiſtolâ ſextâ; *Sobriam à turbis gravitatem, ſeveram vitam, ſingulare pondus, Dignitas ſibi vendicat Sacerdotalis.*

XII. Talis vitæ non fuit iſte, de quo narrare cœpi, *Sacerdos.* Nam (ſicut eum pergit deſcribere Petrus Venerabilis) *Vt* SUS *immunda* MULTO TEMPORE (multíſque annis) IN COENO LUXURIÆ *verſabatur*; *ſui ipſius fœtoribus delectatus.* Nec exprimit tamen auctor, *Complicémne* luxuriæ *mulierculam* habuerit? Quod equidem genus peſtium, meritò, ex urbibus & provinciis ac diœceſibus omnibus, Epiſcoporum *Vicarii* Viſitatoréſque, tanquam *Eccleſiæ maledictionem*, expellere deberent: propter ingens ſcandalum; &, quia mulierum impudicarum hæc tribus ac natio, nec Deo quidquam conferunt, nec hominibus. Quarum ego creberrimam eſſe Damnationem, & raram admodum Salutem, credo; propter Induratam apud plurimas Impœnitentiam, in quam, divinâ exſecratione, frequenter incidunt. Sed (velut dixi) non exprimit Vir *Venerabilis*; Presbytérne ille per *Concubinatum* peccaverit (quod probabilius tamen eſt, ex aliis, quæ ſeriem hujus hiſtoriæ circumſtant) an verò per *Innaturalitatem*? quam Sanctus Paulus *Immunditiam* & *Mollitiem*, appellat. (*X.*) an denique per *Vtrumq;* ſimul?

XIII. Prudenter autem advertunt Aſcetæ, ac Sancti Patres; Neminem facilè tam ſceleratum eſſe, quin interdum ſuſcipiat aliquem, vel tenuem ſaltem, Virtutis actum: aut, ut minimùm, ejus ſpeciem ac ſimulacrum. Quapropter & Impius hic, poſt,

Presbyter Liziniacenſis.

poſt, & inter, tot Abominationes, indignámque Sacroſancti Corporis & Sanguinis Chriſti tractationem, terreri tandem conſcientiæ ſuæ diſturbatione latratúque cœpit: & ideo, ad ſynteresin utcunque ſopiendam, bonorum quorundam hominum familiaritatem ambire. Erat autem, haud ita procul Liziniáco, cœnobium & Abbatia quædam, BONA-VALLIS Latinè, Gallicè *Bonnevau* dicta (Y.): cujus Abbas, tempore Divi Bernardi Claræ vallenſis (& hac ipſa ſcilicet tempeſtate) fuit, *Bernardus* alius, *Vir* (ut ait Cæſar Baronius, in annum Chriſti 1130. numero tertio) *Sanctiſſimus*, Ordinis (quantum apparet) & ipſe Ciſtertienſis; ac certè quidem Libri ſecundi Vitæ Divi Bernardi Claræ vallenſis, ſcriptor & compoſitor. Cum hujus igitur, quod dixi, cænobii Bonævallenſis Abbate, ac fratribus quibuſdam, familiaritatem hic Presbyter contraxit; eóſque frequenter inviſebat: in eo ſaltem non reprehendendus; nec ad illorum mortalium factus ingenium, qui Religioſorum hominum omne commercium, aſpectū, occurſum, mentionem memoriam, exſecrantur & conſpuunt: qui tamen iis revera digni non ſunt. homines ipſi, vel palàm, vel in occulto, ſceleſti, ſive viri ſint hi, ſive fœminæ; & propter hoc ipſum proinde, Dei Servorum oſores, detractores, perſecutores: quia ipſi Servi ſunt, aut ancillæ, Diaboli.

XIV. Interim, cùm *Sacerdos* iſte *Liziniacenſis* rectiſſimè facturus fuerit, cum Sanctis illis viris crebrò ſermones & pia colloquia miſcendo, dummodo *Intentione* id ſanctâ, cúmque fructu, feciſſet: illud ipſum tamen evertit, in *Duobus*. In *Vno* quidem, quòd hanc ipſam, cum Piis illis viris, familiaritatem,

Presbyter Liziniacenſis.

ritatem, tantummodo *Specie tenus* (ſicut loquitur auctor noſter) hypocriticè, amplecteretur: quemadmodum hodiéque faciunt haud pauci, qui, frequenti cum Probis devotíſque commercio, cupiunt exire publicam Injuſtitiæ ſuæ, vel Vitæ Scandaloſæ, infamiam. *Alterum* autem, in quo malè egit, iſtud erat: quòd (ut Petri Venerabilis utar verbis) *longo tempore de Vita emendatione commonitus* (unde conjicitur, Vitam ipſius ſceleratam fuiſſe non ſolùm Diuturnam in flagitiis, ſed inſuper in Publica aliorum offenſione; adeóque in Concubinatu): quòd item inſtimulatus à religioſis illis, *aſſiduis exhortationibus, ut Sæculo renuntiaret* (id, quod ſanè candidè nonnunquam & neceſſariò dicendum eſt, in ſacro etiam Pœnitentiæ tribunali, grandibus quibuſdam & enormibus Peccatoribus; Niſi Religionis alicujus ſeveræ vel bene reformatæ clauſtris, ad uſque vitæ finem, includant ſe difficilem admodum habituros ad cœlum viam) in ſuo tamen luto *porcus* hic obſtinatè defixus hæſit; & Bonævallenſes ab eo, præter inanem ſpem, fluxa verba, futiliáque promiſſa, nihil impetrârunt: non ſermonibus ſuis, ad omnem pietatem accommodatis; non ſplendidis religioſæ converſationis exemplis. In cœnobio enim, quamdiu agebat, cum viris illis ſanctis ambulabat. domum autem reverſus, cum meretricibus volutabatur. Sic eſt, dilectiſſimi. *Inveterati dierum malorum* (*Z.*), *ac perverſi, difficile corriguntur* (*AA.*): & in illo potiſſimùm vitio, cuj miſer hic immerſus erat, uſque ad verticem. Divina etiam *Gratia-Efficax*, eum reliquerat, in pœnam tot indignarum Communionum: & idcirco, verba purè humana nihil in eo promovebant non enim temerè ſcriptum eſt

Eccle-

Presbyter Liziniacenſis.

Eccleſiaſtæ ſeptimo capite (*BB.*); *Conſidera Opera Dei* (addo ego, *Et Iudicia*) *quòd nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit* (& abjecerit)!

XV. Hæc ergo *Peccata* fuerunt *Lethalia* viri hujus: Indignũ, negligens, & ſcandaloſum Sacerdotiũ, Sordes quotidianæ libidinum, Indigniſſima Corporis ac Sanguinis Dominici tractatio, Hypocriſis, & in ſtatu peccatorum ſuorum *impia obſtinatio* (ait Petrus Venerabilis) Nunc, more noſtro, quẽ omnibus in *Exemplis* his *Tragicis* obſervamus, *Peccatorum* tot *Mortalium Peſtilentes Fructus* videamus: &, quo pacto hic idem, *ſecundùm duritiam ſuam, & impenitens cor, theſaurizaverit ſibi iram, in die iræ, & revelationis iuſti iudicii Dei?* (*CC.*) *Facile eſt, coram Deo* (inquit Eccleſiaſticus), *in die Obitûs, retribuere unicuique ſecundùm vias ſuas.* (*DD.*) *Malitia horæ* (illius) *oblivionem faciet* (præ tormentis ingentibus animæ, tunc fluctuantis) *luxuriæ magnæ.* (*EE.*) Quæ omnia Scripuræ verba, ad unguem in hoc Impio videbimus impleta. Nam, ecce!

XVI. Cùm annis multis, in eum, quem dixi, modum vixiſſet hic: *Tenebroſum* denique *tempus* obruit illum, ex improviſo. *Incidit* enim *in morbum* (quem ſingularis illa vita libidinúmque intemperantia, non potuit non invehere): morbóq; poſt aliquot dies ingraveſcente, *ad extrema* tandem miſer hic *pervenit.* Sicut autem fieri ſolet, ut pii impios (quamdiu ſpes vel tenuiſſima relucet, illorum animæ lucrifaciendæ) non deſerant; minimè verò omnium, terribili illâ migrationis horâ: ex monaſterio vicino *Bonæ-Vallis*, proximus Abbatis dignitati, PRIOR ad eum excurrit Liziniácum uſque, ſub meridiem: cúmque infirmo

Presbyter Liziniacenſis.

ritatem, tantummodo *Specie tenus* (ſicut loquitur auctor noſter) hypocriticè, amplecteretur: quemadmodum hodiéque faciunt haud pauci, qui, frequenti cum Probis devotíſque commercio, cupiunt exire publicam Injuſtitiæ ſuæ, vel Vitæ Scandaloſæ, infamiam. *Alterum* autem, in quo malè egit, iſtud erat: quòd (ut Petri Venerabilis utar verbis) *longo tempore de Vita emendatione commonitus* (unde conjicitur, Vitam ipſius ſceleratam fuiſſe non ſolùm Diuturnam in flagitiis, ſed inſuper in Publica aliorum offenſione; adeóque in Concubinatu): quòd item inſtimulatus à religioſis illis, *aſſiduis exhortationibus, ut Sæculo renuntiaret* (id, quod ſanè candidè nonnunquam & neceſſariò dicendum eſt, in ſacro etiam Pœnitentiæ tribunali, grandibus quibuſdam & enormibus Peccatoribus: Niſi Religionis alicujus ſeveræ vel bene reformatæ clauſtris, ad uſque vitæ finem, includant ſe difficilem admodum habituros ad cœlum viam) in ſuo tamen luto *porcus* hic obſtinatè defixus hæſit; & Bonævallenſes ab eo, præter inanem ſpem, fluxa verba, futiliáque promiſſa, nihil impetrârunt: non ſermonibus ſuis, ad omnem pietatem accommodatis; non ſplendidis religioſæ converſationis exemplis. In cœnobio enim, quamdiu agebat, cum viris illis ſanctis ambulabat. domum autem reverſus, cum meretricibus volutabatur. Sic eſt, dilectiſſimi. *Inveterati dierum malorum* (Z.), *ac perverſi, difficile corriguntur* (AA.): & in illo potiſſimùm vitio, cuj miſer hic immerſus erat, uſque ad verticem. Divina etiam *Gratia-Efficax*, eum reliquerat, in pœnam tot indignarum Communionum: & idcirco, verba purè humana nihil in eo promovebant non enim temerè ſcriptum eſt

Eccle-

Presbyter Liziniacenſis.

Eccleſiaſtæ ſeptimo capite (*BB.*); *Conſidera Opera Dei* (addo ego, *Et Iudicia*) *quòd nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit* (& abjecerit)!

XV. Hæc ergo *Peccata* fuerunt *Lethalia* viri hujus: Indignũ, negligens, & ſcandaloſum Sacerdotiũ, Sordes quotidianæ libidinum, Indigniſſima Corporis ac Sanguinis Dominici tractatio, Hypocriſis, & in ſtatu peccatorum ſuorum *impia obſtinatio* (ait Petrus Venerabilis) Nunc, more noſtro, quẽ omnibus in *Exemplis* his *Tragicis* obſervamus, *Peccatorum* tot *Mortalium Peſtilentes Fructus* videãmus: &, quo pacto hic idem, *ſecundùm duritiam ſuam, & impenitens cor, theſaurizaverit ſibi iram, in die iræ, & revelationis iuſti iudicii Dei?* (CC.) *Facile eſt, coram Deo* (inquit Eccleſiaſticus), *in die Obitûs, retribuere unicuique ſecundùm vias ſuas*. (*DD.*) *Malitia horæ* (illius) *oblivionem faciet* (præ tormentis ingentibus animæ, tunc fluctuantis) *luxuriæ magnæ*. (*EE.*) Quæ omnia Scripuræ verba, ad unguem in hoc Impio videbimus impleta. Nam, ecce!

XVI. Cùm annis multis, in eum, quem dixi, modum vixiſſet hic: *Tenebroſum* denique *tempus* obruit illum, ex improviſo. *Incidit* enim *in morbum* (quem ſingularis illa vita libidinúmque intemperantia, non potuit non invehere): morbóq; poſt aliquot dies ingraveſcente, *ad extrema* tandem miſer hic *pervenit*. Sicut autem fieri ſolet, ut pii impios (quamdiu ſpes vel tenuiſſima relucet, illorum animæ lucrifaciendæ) non deſerant; minimè verò omnium, terribili illâ migrationis horâ: ex monaſterio vicino *Bonæ-Vallis*, proximus Abbatis dignitati, PRIOR ad eum excurrit Liziniácum uſque, ſub meridiem: cúmque infirmo

Presbyter Liziniacenſis.

mo collocutus, per diei ſpatium aliquantùm permanſit. Veſperâ verò ingruente, cùm redeundi domum tempus eſſet; rogatus ab ægro eſt, ut etiam tunc ſecum remaneret diuturniùs: neque ſe, in eo rerum articulo, deſereret. Quid univerſo illo, tam pomeridiano, quàm veſpertino, tempore ſint inter ſeſe collocuti, vel ſuper quibus; Scriptor noſter (quanquam cæteroquin exactus & prolixus) nec verbo tradit. Ego tamen non dubito, quin ad *Peccatorum Confeſſionem*, atque *Pœnitentiam* ſeriam, moribundum tam vitioſum, Vir tam religioſus, ſit adhortatus ex animo. Cuj fortaſſis ille reſponderit; *Extrema* ſe *ſua* jam omnia percepiſſe. ſicut ſanè ſolent, etiam valde Scelerati, ſub vitæ finem, iſta ſaltem *ad ſpeciem* facere; malæ famæ fugâ, vel meriſſimo Gehennæ timore, perpellente. Quæ tamen Confeſſio ac Pœnitentia, ſi peractæ fuerunt ex *Timore* duntaxat *Servilicum-Servilitate* (quæ ad Peccatorum remiſſionem non ſufficit) haud verò *ex animo* totóque corde, peractas fuiſſe; extra dubium omne ponunt ea, quæ circa ægrum mox acciderunt. Non dubito etiam, quin Impius hic ſermones PRIORIS ſanctos identidem ſucciderit; vel eos ad alia quædam inutilia frivoláque detorſerit: Id, quod plurimi ſæpe ægri faciunt, Sæcularibus negotiis, nugis, ac curis tunc intenti; qui tamen, ſub illud tam ponderoſum animæ momentum, divinis tantummodo, ſuæque Saluti ſervientibus, occupari deberent. Ad hanc autem tam ſalutarem animæ ſuæ ſollicitudinem, quàm multum ſæpe conferre poſſent ipſi, qui morbidis moribundíſque adſunt, ſive domeſtici, ſive *Viſitantes*? niſi ipſimet pleni frigore, teporéque, & laxitate ſpiritûs atque conſcientiæ, forent?

Quàm

Quàm ſæpe (prôh dolor ;) quàmque acerbo cum dolore, nos ipſi vidimus audivimúſque! cùm, qui ad ægros inviſerent, (& quidem, etiam ad Extrema jam deductos) aut *nihil penitùs* loquerentur, *de Animæ cura*: aut etiam ultrò, de vanis ac ſæcularibus rebus, ſermones injicerent; eóſque, quoad è vita demum migraret æger, continuarent? aut denique, ſi multum plurimumque præſtarent, frigidâ quadã eos phraſi ſalutarent; *Grattioſe Domine*, *vel*, *Generoſa Domina! pergimúsne ad Dominum*? hîs paucis, omnia confecta rati, penitùs poſtmodum conticentes: & impium moribundum ſæpe falſiſſimâ tali palpatione, potiùs in Impœnitentia confirmantes, quàm ad ſeriam de Peccatis Confeſſionem dolorémque incitantes. *Palpatione*, inquam, *falſiſſimâ*. Quis enim, quæſo, quis, ſanæ Chriſtianæque mentis homo, credat; Tot onuſtum ſceleribus infirmum, illico profecturum *ad Dominum*? cùm, Sancto Petro teſte (quod alibi jam monuimus) *Vix Iuſtus ſalvetur*? (*FF.*) Tametſi ſanè (dilecti) erro. Perget enim hic talis revera *ad Dominum ſuum*: non Deum quidem, ſed illum, cujus ipſe *Servus* ſemper ac Mancipium fuit, *Diabolum*. SED hæc, per *Digreſſionem* (propemodum neceſſariam) dicta ſint: ut, qui præſentes hîc eſtis, condiſcatis, aliorum ex errore; Qales voſmet in hora quondam illa, tam ancipiti, præſtare vel exhibere debeatis, Nunc ad nonſtrum hunc Impium, ſupremo cum morbo conflictantem, redeamus.

XVII. Dum loquimur, & nos, & illi duo; Nox interea ſuperingruit. Diſcedunt alii cuncti, etiam domeſtici; mulóque magìs, ſiqui alii cum inviſerant. Solus remanet cum ægro PRIOR Bonæ-

Bonæ-vallenſis; ac lecto aſſidet: lucernâ (quis dubitet?) vel lampade illatâ. Cùm ecce! derepente vociferari infirmus, & inclamare PRIOREM, exorſus; *Succurre*, ait, *Succurre, Pater!* In quo? inquit alter. Et iſte; *Duo*, inquit *ſupra feritatem omnem expaveſcendi Leones; in me faciunt impetum, hianti ore; ac, rictu feroci per fruſta me diſcerpturi, conſumere totum volunt. Deprecare citò Dominum, ut ab his eripiar; priuſquam eorum morſibus conſumar. Dicebat hac* [pergit Scriptor] *& tremebat: ac, velut devoraturos fugiens, retrò cedebat. PRIOR verò, vocis illius ac geſtùs terrore turbatus, non ſine multo & ipſe terrore erat. Ad preces tamen, ipſâ impellente neceſſitate, converſus: pro miſero illo, quantùm poterat, Dominum orabat.*

XVIII. Hîc interſiſtat, quæſo, Charitatis veſtræ, ad audienda cætera, aviditas: paſſûs [ut dicitur] unius veſtigio, dum ad reliqua pergam. LEONES illi DUO, quínam erant? *Diaboli* haud dubiè. de quibus pſalmo nonageſimo dicitur [*GG.*] *Conculcabis* Leonem & *draconem*. ac, primâ Divi Petri epiſtolâ [*HH.*] *Diabolus, tanquam* Leo *rugiens, circuit, quærens; quem devoret.* Et Eccleſia Catholica, in Offertorio Officii ſeu Miſſæ pro Defunctis; *Libera eas* [animas Defunctorum] *de ore* Leonis, *ne abſorbeat eas Tartarus.* At, cur *Duo*? Crediderim (ſicut de *Duobus Canibus* dictum eſt nuper) *Angelos* fuiſſe *Reprobos*; alterum, ægri hujus presbyteri, alterum autem Concubinæ, Speculatorem. Crede autem mihi, frater in Chriſto chariſſime! non aberit, nec abſcedet, in illa tua ſuprema vitæ fugientis hora, tuus hic *Obſervator, magnam habens* ac Leoninam *Iram*;

rum, ſciens, quia modicum tempus habet. (*II.*). LEONES igitur intelligis. At, *Terror*, & *Tremor*, & *fuga* conatus, & totius corporis *retroflexio*, quid? cur? ad quid? & quando? Nimirum, articulo illo temporis (regulariter, ac plerumque) moribundi ferè *Omnes* (ſi modò *Fidem* adhuc & ſenſum habent Chriſtianæ mentis) conſternantur, ac pavent; *Non immeritò* (inquit S. Gregorius Magnus) *cuiuslibet anima tunc terretur: quando, poſt puſillum, inveniet, quod in æternum vitare non poſſit* (KK.). Et B. Petrus Damiani; *Cùm* (inquit) *anima Peccatoris incipit exire corporis ergaſtulo: affligitur, quia videt inevitabilem horam reddendæ rationis, & vindictæ divinæ. Si à tergo reſpiciat, videt totius vitæ peractæ curriculum, quaſi temporis* (unicum) *Momentum. Sin Oculos in anteriora extendat, cernit infinitum Æternitatis ſpatium, quod illum exſpectat.* (*LL.*) Utrique igitur, & *Pii*, ſuo modo, & *Impii* (regulariter) terrentur ac pavitant; ſed tamen cum diſcrimine; *Iuſtus enim* (inquit Divus Gregorius citatus) *de Vicina morte trepidat: & tamen, quia poſt mortem veriùs ac feliciùs vivet, exultat. Ideò gaudens metuit, & metuens gaudet,* (*MM.*) *Impius* autem, *exire de corpore trepidat*, quia *videre eum, quem contempſiſſe ſe meminit, iudicem formidat.* (NN.) Ad ſummam igitur! *Pavor mortis* (ait Divus Joannes Climacus) *proprietas eſt naturæ: Tremor verò mortis* (& illa quædam nimis immoderata totius hominis concuſſio) *ſignum, non peractæ de Peccatis Pœnitentiæ.* (OO.) Habes igitur (dilecte) quid *Tremor* quoque fuerit in iſto morituriente: ſignum videlicet *Impietatis*, in finem uſque ſuum *Impœnitentis*. Nunc ad narrationem denuò.

presbyter Liziniacenſis,

XIX. Poſt Orationis, quam pro ægro fundebat PRIOR, aliquantam moram, infirmus; *Bene eſt* (inquit, mutatâ jam in leniorem ſonum voce) *bene eſt! Receſſerunt crudeles beſtiæ: &, per orationes tuas, iam ultrà non apparent.* Et quoniam (pergit auctor) *ad ultimum* uſque *Spiritum ſemper ſui compos extitit; nec, ut quidam morientium ſolent, vel in modico ſenſu imminutus fuit: converſus ad* PRIOREM, *loqui cum eo* (ſæcularium, & negligentium impœnitentiúmque more) *de* QUIBUSLIBET, *velut ſaniſſimus, cœpit.* De QUIBUSLIBET, inquam, & OMNIBUS. tantummdo verò de eo nihil locutum eum reperio, de quo ſolo loquendum tunc & agendum fuerat: de quo ſcilicet à Chriſto quoque dictum eſt; *Sollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò* UNUM (& unicum) *eſt Neceſſarium.* (*PP.*) Sed nimirum; Hic ipſe ſtultiſſimorum ſæculi præſentis amatorum lethargus eſt.... Saniſſimi facundiſſimíque, infinitæ garrulitatis, ſunt, ad nugas, ad ventum, ad fumum ſuum. Ad ſola Salutis ſuæ negotia, Infirmi, rauci, tuſſientes, ægrè vocem emolientes: *continuóque* (quod cauſſantur) *capite laborant*, ſermone ulicunde pio accerſito vel interſperſo. Sed interim, *cùm tam de his, quàm de aliis, multa inter ſe verba conferrent:* HORÆ *ferè unius ſpatio elapſo rurſus inclamare longè terribiliùs æger cœpit, quàm primò; En, inquit, en, Ignis de cœlo, ut Torrens inundans, deſcendit: & ſuper* HUNC LECTUM *meum* (in quo tot Abominationes, per tos annorum curricula, ſine fine ſinéque modo perpetraverat impurus hic) *veniens, iam iámque in favillam uſque me comburet. Feſtina, adiuva, ora, ſi fortè & ab hac*

ab hac morte eripi valeam (ſicut à præcedente geminorum Leonum impetu). *Et hac dicens* (pergit Venerabilis) *manibus, & brachiis opertoria ſublevabat: eáque, velut aliquid iuvare poſſent, inviſibilibus ignibus, turbatus opponebat.*

XX. Res, deploratu planè digniſſima! tam in hoc, quàm in aliis quibuſvis, *Induratis*. Videbat à *Cælo miſſam Gehennam* (ut de Sodomorum incendio, libro primo de Providentia, loquitur *S. Salvianus* Maſſilienſis) & TORRENTEM cernebat FLAMMARUM; qui nunquam (opinor) legitur, niſi *in homines impiiſſimos*, adhuc *in vita hac* demiſſus: ut In Gomorrhæos, In ſanctiſſimi prophetæ Eliæ exagitatores, In blaſphemos ac murmuratores Iſraëlitas! alióſque id genus peccatores. Et quod, de *Stagno, ardente ſulphure & igne*, ſcripſit in Apocalypſi ſua divus Joannes: illud in *timidos* (hoc eſt, timore mortis ac doloris temporalis, Chriſti fidem ejurantes) in *incredulos*, in *homicidas*, in *fornicatores*, in *veneficos*, in *idololatras*, in *exſecratos* denique peccatores, ac delicta nequaquam levia, Deus legitur (QQ.) interminando fulminaſſe. Et nondum tamen ſceleſtus iſte *conteritur*: nondum *Confeſſionis* perfectæ mentionem facit. Mirum hoc, omni mirando mirius! & ipſe tu, qui hæc audis, attonitus admitaris. Sed, ô miſer, ô miſera! quid aliud, (oro te) quid aliud tu quoque agis? Scis enim, & plus nimio ſcis, ac, quod omni Scientiâ certius eſt, *Fide Divinâ* credis (ſi tamen revera *credis*) *diſceſſuros*, à Chriſti látere, *Maledictos in Ignem Æternum*; *qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius* (RR.); ídque, *pro unoquoque Peccato Mortifero* Scis item, denuntiatos tibi pro ſuggeſtibus fre-

quenter, & credis (ſi tamen ex animo, nec fictè, credis) *ardores*, è Sancto Iſaia, *Sempiternos* (*SS.*), intolerabiles, incomparabiles, immitigabiles, non conceſſuros ullam requiem, neque die, neque nocte: *Ardores* inextinguibiles, intima corporis & animæ penetraturos, ineluctabiles, inexorabiles, infinitos, immenſos, inexplicabiles omni creato intellectui. *Ardores* ac flammas, cum tenebris, diabolis, lacrymis, mœrore, clamore, ſtridore dentium, ejulatu, tormentis, terrore, tonitruis ac fulminibus iræ Dei, Deſperatione evadendi, *Omni malo, nullo bono*: & hoc, *in Sæcula ſæculorum*; ac, ſi loqui ſic juvet, *In Omnes æternitatum omnium æternitates*: hoc eſt; ſi univerſus iſte terrarum orbis, à terra, ad empyrium uſque cœlum, granis impleretur arenæ horologiorum minutiſſimis, & unicuique grano attribuerentur decies centena millia milliorum Sæculorum; nunquã omnino nec *Medietatem* quidem evolutionis ſuæ, nedum terminum atque *finem*, habituris pœnis. Fallóne te hîc? Si fallo, Deus à me, beatáque Æternitas, recedant! Fallor ego? ſi fallor (quod fieri nullo modo poteſt) Scripturæ nos, & Apoſtoli, ac Prophetæ, & Chriſtus, ac Deus, & Divina Veritas (quod abſit!) in fraudem induxerunt. Hæc igitur tu cùm (ut dixi) ſcias & credas; Cur, quæſo, cur eadem, aut fortaſſe non multò inferiora facis iis, quæ Sceleratus iſte fecit? Cur, inquam, ad IGNIS hujus, impendentem tibi, certitudinem, nondum Abominationes tuas & Occulta, cum animi dolore maximo, deteſtaris, confiteris, relinquis? O, te dignum, non unâ, ſed vel millenis Gehennis, propter millena, quibus tuâ ſponte mérgeris, & infixus hæres, mala!

XXI. Sed

XXI. Sed videlicet, ALIOS agere pro Te Bona ſinis & jubes: tu ipſe, pro Te, manum, ad pœnitendum, neutram moves: ſicut & noſter hic fecit; *pro quo* (pergam enim, cum Petri Venerabilis, non tantûm narratione, ſed & verbis) vir, Charitate plenus, PRIOR *adaucto Timore, ad Orationem denuò converſus eſt: &, quantum* in eventu tali *fieri poterat; Domini miſericordiam deprecabatur. Ergo illo*, ſicut & ſuprà fecerat, *Orationi inſtante; poſt paululum ager, gratulationis vocibus preces illius interrupit: &; Quieſce!* (inquit): *Iam ab* IGNE *tutus ſum. nam ob Orationes tuas, ad me uſque* pertingere flamma non potuit.

XXII. Sed nempe, *Dilatio* iſthæc erat, non *Condonatio*, jam dudum imminentis Supplicii gravioris, ac Sempiterni. Nam, ad iſtud, Moribundo remittendum, nec ſolæ nudæque *Preces Morituri*; nec ſolæ, vel etiam junctæ *preces Alterius*, ſufficiunt: ſi animus migraturi, ſit induratus, ad *Finalem* (ut appellamus) *Impœnitentiam* continuandam. Tali Impœnitudinis ſtatu, *frater fratrem non redimet* (TT.): quódque de ſtatu illius, quin *in Odio Dei* deceſſit, dictum à Propheta Ezechiele eſt; hoc idem de tali aliquo, ſi pertinaciter obfirmârit Impœnitentiam, verum eſt; *Si fuerint* (inquit apud eum Deus) *tres Viri iſti in medio eius* (terræ) *Noë, Daniel, & Iob; ipſi IVSTITIA ſuâ liberabunt animas ſuas, ait Dominus exercituum. nec filios* verò, *nec filias liberabunt: ſed ipſi ſoli liberabuntur.* (VV.) *Iuſtitia* (ſeu, ſtatus *Gratiæ-Iuſtificantis*, Finalis) *liberabit à morte* (XX.) Tum priùs igitur, omni vitâ; tum verò potiſſimùm illo tam periculoſo mortis articulo, Pœnitentiæ, Gratiæque recuperationi, &

Presbyter Liziniacenſis.

quidem ab ipsómet ægro, ſine torpore inſiſtendum, eſt; exemplo & admonitu S. Auguſtini morituri; qui in extremis aſſiduò Pœnitentiæ Davidicæ pſalmos, cum lacrymis, recitabat: dicere inſuper ſolitus; *Neminem, etſi nullius ſceleris ſibi conſcius eſſet, committere debere: ut ſine Pœnitentia migraret è vita.* Hæc talia non præſtitit, ac ne cogitavit quidem, infelix noſter hic moribundus: ſed contentus, *paroxyſmum* ſive *ſymptôma* (quod medici vocant) ad *Præſens* temporis punctum præteriſſe; de *Futuro* porrò non erat, quemadmodum oportuerat, ſollicitus.

XXIII. Ea, quæ, nocturnis præſertim horis, tam tetricis tragicíſque ſcenis geruntur, quemvis utique conſternant: ſolentque nonnunquam animos virorum, etiam bonæ Conſcientiæ, ſic concutere; vehementer ut expaveſcant. Hoc igitur idem & PRIORI tunc uſuvénit: qui eorum, quæ acciderant, ingenti perculſus formidine; digredi tandem omnino conſtituit: cauſſatus (quod verè meritóque poterat) noctis, jam in curſu ſuo poſitæ, profundum; & divertendi cœnandíque (in domo forſitan, Cœnobii Bonævallenſis propriâ, Liziniáci conſtitutâ) neceſſitatem. Obſtitit moribundus, omni conatu: complexúſque valedicentis manum; *Oro te,* Pater, (inquit) quoniam mecum eò rerum jam ventum eſt: *ne diſcedas à me; quouſque, quis iſtorum futurus ſit finis, agnoſcas.* Deus Providentiſſimus, quò Finis & exitus hujus Impii, per virum quempiam probatæ vitæ fideíque, etiam aliis, ad ſalutarem terrorem, innoteſceret; ſic rem ómnem diſpoſuit: ut & moribundus præſentiam aſſiduam PRIORIS peteret: &, quod petebat, graviſſimo rurſus terrorum incumbenre fluctu,

Presbyter Liziniacenſis.

ae fluctu, à PRIORE impetraret. Surrexit ergò bonus Pater ab oratione; quam diſceſſurus, tamquam valedictoriam, ſuper eum fundebat, ad *Commendandam* (ſicut fieri mos eſt) *Animam*. adſedit lecto: conſolari denuò anxium, & varia cum eo miſcere colloquia, perrexit. Sed, ecce, medio ſermonum æſtu, *Ægrotus* (inquit auctor) *ad Inviſibilia raptus, obmutuit.* PRIOR, tanquam vir, ſpiritualium ejuſmodi rerum & eventuum intelligens, ſenſit; non ſtuporem eſſe ſenſuum purè naturalem, aut quandam ſoporis imaginem: ſed, ab humanis eum rapum, animadvertens, rei exitum præſtolabatur. Longa mora: exſpectatio anxia: donec, *poſt multum denique noctis Spatium, ad ſe homo rediit: &, miſerabiliter ingemiſcens, ait; Ha, ha! ad Iudicium æternum raptus ſum! & ,heu miſer! æterna morte damnatus,*

XXIV. *Iudicium* ſine dubio (dilecti) non ſolum *Vniverſale* cunctorum, ſed *Particulare* quoque ſingulorum (regulariter, ac ſecundùm rerum curſum ordinarium) poſt uniuſcujuſque mortem inſtitui peragíque: Catholica habet doctrina, docétque Sanctus Thomas, in tertia parte Summæ Theologicæ, quæſtione quinquageſima ſextâ, articulo quinto. Trahuntur eò & verba Divi Pauli, ad Hebræos (IX.); *Statutum eſt hominibus, Semel mori. poſt hoc autem,* JUDICIUM. Veruntamen, *Iudicium iſtud* PARTICULARE, *nec peragitur* ante *mortis Inſtans* (ſecundùm communem rerum curſum) *nec aliquanto tempore* pòſt; *ſed in ipſo Inſtanti* (ſaltem Extrinſeco) *Mortis*: uti docent Theologi; nominatim autem Adamus Tannerus, Tomo quarto, diſpu-

tatione ſecundâ, quæſtione quarta, dubio tertio, (*ZZ.*). Infelix igitur iſte presbyter, ex probabiliore ſaltem certioréque Doctorum ſententia, nondum acceperat tunc *decretorium & incommutabile* contra ſe *Iudicium*; ſed potiùs (ſi ſic appellare placet) *Praiudicium*: cum quo tamen interim ei nequaquam adempta fuit libertas, ex animo pœnitendi (ſi voluiſſet) & efficiendi; ne ex *Praiudicio* fieret *Iudicium*.

XXV. Perrexit autem loqui Impius, ac dicere; Non modò Damnatus ſum: ſed inſuper quoque *traditus horrendis tortoribus*, *igne inextinguibili*, *cum Diabolo*, *Angelis eius*, *perpetuò cruciandus*. Addidit (mirante, ſine dubio, eíque eximere de mente conante, tam atrocem ac deſperatam animi perſuaſionem, PRIORE) addidit, inquam; *Ecce*, *ecce*, IGNITA SARTAGO! *plena bulliente adipe*: *quam*, *coram me*, *tormentorum miniſtri detulerunt*; *eámque ad me frigendum*, *undique ſuccenderunt*. Quin *Immundo* illi, & in LECTIS, per tot annos, turpiſſimè volutato, pœna Gehennæ tam horribilis præparata fuerit, quam intellectûs humani imbecillitas commodiſſimè ſibi per LECTUM ferreum, aut aheneum, IGNITUM, adipéque bullienti ſpurciſſimâ redundantem, imaginari queat? nemini dubium eſſe debet: cùm præſertim, de SARTAGINIBUS ejuſcemodi, legamus etiam, in Revelatione quadam Religioſi cujuſdam Anglicani; quem Divus Nicolaus duxit ad Inferorum intuenda loca, apud Dionyſium Carthuſianum, *de Quatuor Noviſſimis*, tractatu de *Inferno*, articulo quadrageſimo ſeptimo: Alibi quoque, in Revelatione cujuſdam alterius, de

K Conjugibus

Presbyter Liziniacenſis.

Conjugibus etiam, ſic tortis ac toſtis; quòd, dum viverent, immodicè nimis, ac fortaſſis innaturaliter quoque, conjugio fuiſſent uſi: Apud Martinū item Delrium, reperiamus (*AAA.*), in Belgica ſic aſſatum nonneminem, atque frixum; Sacra denique Scriptura non ſine cauſſa clamet, apud prophetam quendam (*BBB.*); *Væ, qui dormitis in* L E C T I S *eburneis! & laſcivitis in ſtratis veſtris!* Præparata igitur Sceleſto illi S A R T A G O erat. Et hæc quidem non pro *Imaginatione* ſolummodo, ſed planè pro Tormentis *ſenſilibus*: ſicut ſcriptum eſt, Judithæ capite decimo ſexto; *Dabit Ignem in carnes eorum: ut* Urantur, *&* Sentiant, *uſque in ſempiternum* (*CCG.*). Nam audi, quod reſiduum eſt; ex Petri ſcriptoris verbis.

XXVI. *Cum iſta flebiliter dixiſſet æger; &* PRIOR *Orationi, ſicut iam bis fecerat, tertiò quoque incubuiſſet*, totus in preces pro hoc infelici, effuſus: *clamavit alter*, hôc animadverſo, vocibus jam penitùs deſperantibus; *Ceſſa, ceſſa, pro me orare: nec pro illo* (negotio, & homine,) *ultrà fatigeris, pro quo nullatenus exaudieris.* Cui PRIOR, in genibus utique perſiſtens; Non ſic, inquit, non ità, frater! noli loqui verba delirii, noli deſperare, ne nunc quidem. Audi, & imitare (hac in parte) Jobum, proteſtantem; *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo. Veruntamen, Vias meas in conſpectu eius arguam* (DDD.). clama cum Davide: *Confitebor adversùm me iniuſtitiam meam* (*EEE.*). *Deduc, quaſi torrentem, lacrymas, per diem & noctem. non des requiem tibi: neq; taceat pupilla oculi tui. Effunde, ſicut aquam, cor tuum, ante conſpectum Domini.* (*FFF.*) *Miſe-*

ricordiam, dum adhuc vivis, à Deo exquire: & cerebri tui vitioſas imaginationes, ex violentia morbi provenientes, expelle. Indignatus, in hæc PRIORIS verba, moribundus, ac loqnentem interfatus cum ſtomacho; Quid? inquit Num cenſes, *ut inſanum me loqui? Non inſanio, ſed ſanâ mente, qua dixi,* repeto, & *confirmo. Simùl* PRIORIS *cucullam* [inquit auctor] *manu tenens; Nónne, inquit, hoc, quod manu teneo, Cuculla eſt tua? Quo reſpondente; Eſt: adiunxit ille; Sicut hæc veſtis, Cuculla eſt: &, ſicut hoc, quod ſubſtratum mihi eſt, palea eſt; ſic & hoc, qnod coram nunc cerno,* SARTAGO *eſt.* Ad quem infelicis clamorem, & indignabundam aſſeverationem, foris exauditam, tam domeſtici, qui priùs abſceſſerant, quàm alii, concurrerunt; in conclave decumbentis irruentes, cúmque circumſtantes.

XXVII. Sed, priuſquam hi intrò penetrâſſent: cùm neque poſt tam ſeriam affirmationem, hæc ſibi PRIOR, verè ſic geri, perſuaderet; & alter, aſſeverare éadem, pergeret: *inter ipſa* [ecce] *verba, de illa,* quam Sacerdos memorabat, SARTAGINE, *Gutta Ignis inviſibilis, in manum Sacerdotis moribundi cecidit,* PRIORE *intuente: dictúque mirabile! Cutem, & carnem, uſque ad intima oſſa, conſumpſit.* Hæc *Gutta, ſtilla* fuit *furoris Domini*, ſuper Peccatorem [*GGG.*]: &, non ſine cauſſa, *ſuper Manum*, quâ, tot centenis vicibus, pollutè Chriſti [regis Angelorum] mundiſſimum Virgineúmque CORPUS tractaverat. *Super Manum*, qua toties, immò millies & ampliùs, obſcœnis abuſus fuerat contactibus, ſive ſolus, cum complice, ſive utroque

Presbyter Liziniacenſis.

utroque ſimul modo: quò impleretur id, quod ſcriptum eſt; *Vt Scirent* [omnes, & tu potiſſimùm, Peccator, ac Peccatrix; quæ nobili hoc membro corporis tam flagitiosè toties abúteris] *quia, per qua peccat quis, per hac & torquetur* [HHH.] cujus Exemplum in *Epulonis* illius *Divitis Lingua* habemus [*III.*]. Senſit autem acerrimum hunc dolorem, miſer hic: *ſtatimque, acri cum gemitu; En, inquit, indubia rei probatio! Nam, ſicut iſta, quam vides, de Sartagine prolapſa, Gutta, carnis mea partem conſumpſit: ſic confeſtim totum me ignea vorago conſumet.* PRIORE *ad iſta ſtupente, dixit iterum; Ecce, Sartaginem ipſam miniſtri Infernales propiùs afferunt! &, ut me in illam iniiciant, iam iámque manus adaptant. Et poſt modicum*, ad PRIOREM, omnéſque, qui confluxerant; *Ecce*, inquit, *Linteum, in quo iaceo, undique concurrentes, arripiunt: & me in ignitam Sartaginem: æternum frixuram, proiiciunt.* Adhuc Momentum ſupererat, *Pœnitendi*: adhuc, gemendi, ſuſpirandi, invocandi nominis JESU, & veniæ implorandæ. Sed Vir nefandus DESPERAVIT! nam, *Hac ut dixit, ſubtractâ voce, reflexáque cervice, puniendum Spiritum condemnatis ſpiritibus tradidit*: & impletum in eo eſt, Proverbiorum illud [*KKK.*]: *In Malitia ſua expelletur Impius. Sperat autem Iuſtus* [&, quiſquis adhuc, ex animo, Juſtificari deſiderat] *in Morte ſua.*

XXVIII. Extincto porrò illo, *tantus terror* [inquit auctor] *omnes invaſit, ut illico* ex ædibus illis *univerſi aufugerent: neque aliqui in domo, ubi Cadaver-mortis* [æternæ] *remanſerat, remanere auderent. Facto verò manè, miſerum Cadaver*

ſepultura

ſepulturæ mandatum eſt. *Exierat autem* inter hæc, & deinceps, *rumor*, eorum omnium, quæ circa mortuum geſta fuerant, in omnem circumquaque pagorum & urbium Pictonicarum viciniam: referentibus videlicet iis, qui morienti adfuerant, quíque & viderant ipſi migrantem hinc, & ab oculatis teſtibus præſentem Tragœdiam relatam audierant. Apud multos autem narrationis fides laborabat: donec, poſt dies aliquot, de conſilio communi, conventum eſt à magna circumjacentium locorum turba ac multitudine: quæ, *tumulo aperto*, FOSSAM [inquit auctor] *illam, quam in manu adhuc viventis presbyteri Gutta, prænuntia damnationis, fecerat, in mortui cadavere invenerunt.* Eo Spectaculo, exemptâ jam omni, de veritate narrationis, dubitatione: quomodo: niſi attonitis ſenſibus, diſcedere mortales potuerunt, percutientes pectora ſua? *Fructúſque peccatorum Mortalium peſtiferos*. jam planè manu palpantes, in mortuum exclamare, prohpeticum illud, jam ſæpius decantatum; *Scito, & vide! quia malum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum: & non fuiſſe Timorem Dei apud te.* [*LLL.*] nunc habes, miſer, quod concupiſti: nunc edis, quod ipſe tibi intriviſti.

XXIX. Diſcedamus ergò & nos [dilectiſſimi] cum intima cordium noſtrorum compunctione, domum quiſque ſuam: & ſic taciti quiſq; hæc ruminantes, cogitemus; *Horrenda Hiſtoria! teſtata hiſtoria! narratio, ab Auctore celebris, ſanctimonia, poſteritati relicta! Mors, omni ex parte, deſperationis plena: óbque hanc ipſam exſecrabilis; ac, ſicut in pſalmo ſcriptum eſt tricesimo tertio*, Mors Peccatorum peſſima! [*MMM.*] Fortaſſis autem ego tam

Digitized by Google

tam atrocem-ſpectris-recenſitis,Interitum evadam: ut, vivus adhuc, neque Leones, neque Torrentem-ignis, neque bullientem Sartaginem, neque Gehennæ Stillam, ſpirantibus etiamnum oculis videam, aut vigentibus ſenſibus experiar. Sed, Utrúmnam DESPERATIONEM quoque, illo in articulo, & animi *deſperabundam fluctuationem* [in quam innumeri quotannis incidunt, cum iſthoc ſceleſto presbytero ſim effugiturus; id valde [inquis] ambigo: ideóque optarem, jam nunc, per caliginem ſaltem] ſcire: *quidnam omnium me, in ſuprema illa horâ, quam maximè ſit torturum, & ad Deſperationem impulſurum?* Rectè tu hæc. Quare, agè, mane; pauciſque etiamnum auſculta, dilectiſſime. tribus tibi verbis expediam; *Singulos hominum Status quidnam potiſſimùm tunc in anguſtias ſit coniecturum?*

XXX. Igitur [quantum quidem ego, tam è recentium, quàm è veterum hiſtoriarum lectione non parcâ, colligere potui] univerſim eos omnes, qui in *Mortiferis* tunc *peccatis* jacebunt, neque eâ perfectâ Pœnitentiâ, & quidem maturâ, dum adhuc ſano corpore mentéque eſſent, cum omni prorſus ad illa Affectu, projecerunt & exterminârunt: torquebunt ſanè *Mortalia Delicta*. In *ſubſtantia* quidem ſuâ; quoniam [prænuntiante hoc Divo Paulo] *tribulatio* & ANGUSTIA incumbet, *ſuper* OMNEM *animam hominis* OPERANTIS-MALUM. [NNN.] In *circumſtantiâ* verò *Serâ* & ad exitum uſque ſpiritûs *dilatâ*, *Pœnitentia*, cruciabunt conſcientiam *Lethalia peccata*: ſecum tunc ruminantem, illa, ſæpius olim inculcata beati præſulis Auguſtini verba; *Datur quidem* [inquit] *etiam in extremis Pœni-*

tentia [hoc eſt, *Abſolutio Sacerdotalis*: quæ pars Formalis eſt Pœnitentiæ] *quia non poteſt denegari. ſed auctores tamen eſſe non poſſumus, quòd, qui* SIC (in fine demum vitæ, & non priùs, cùm potuiſſet] *eam petierit*, MEREATUR *Abſolvi. Quomodo enim Pœnitentiam agere poſſit, qui nulla iam pro ſe opora Satisfactionis operari poteſt? & ideo* POENITENTIA, QUÆ AB INFIRMO PETITUR, INFIRMA EST: POENITENTIA, QUÆ A MORIENTE TANTUM PETITUR, TIMEO, NE ET IPSA MORIATUR! [000.]. Hic, inquam, *univerſim* Angor erit *Omnium* [qui modò ſcintillam adhuc Fidei, remorſúsque ſenſum aliquem, habebunt] *moribundorum, Peccatis mortiferis, antehac inexpoſitis, inexpiatis, indefletisve, coopertorum.*

XXXI. In *particulari* verò, *certos*, quoſdam hominum *Status* Peccata tunc *certa* cruciabunt. ME, meíque ſimiles *Religioſos*, quòd, contra ſtatûs profeſſionem, Deo ac Proximo, ſine omni verâ Charitate, cum ſumma negligentia, ſervierimus: *Spirituales*, nomine; Vitâ, *pluſquam-Sæculares.* At, *Magiſtratibus*, & officiis, functos, torquebit furor, tyrannis, oppreſſio pauperum, exactiones intolerabiles, injuſtitiæ manifeſtiſſimæ, Perſonarum acceptiones: ut clamaturi tunc illud ſint, quod nonnemo ante hos annos in agone mortis; O, NUNQUAM PRÆFUISSEM! Dominici gregis *Paſtores* & *Concionatores*, anget tunc, Studium, hominibus potiùs, quàm Deo, placendi: curáque major ſermonis compti, quàm Converſionis animarum; quemadmodũ in Hiſpania cujdam accidiſſe compérimus; quem, formâ

Digitized by Google

formâ quoque terrificâ poſt mortem deinde apparentem, irata de cœlo Dei manus, in ſignum indignationis, fulminaſſe fertur, etiam in ſpectro ſeu Cadavere reprobati. *Patres* ac *matresfamilias* affliget, Diſciplinæ penatum ſuorum Chriſtianæ ſanctæque nulla prorſus cura, liberíque peſſimè educati: ob quod peccatum *Mater* beatæ *Maria Oegniacenſis*, æternis ſe flammis addictam, filiæ revelavit. [*PPP.*] *Coniuges*, onerabit tunc, & premet, memoria aſpectúſque cubilium & lecti; ſi in eo, non, uti Chriſtianos ac timoratos decet, ſed, ſicut *equus, mulus*, ſus, & beſtia, vixerunt: velut apud Gabrielem Inchinum [QQQ.] matrona quædam *Itala* de ſe viróque ſuo; poſt obitum, patefecit. Eos, qui odia per multum temporis circumtulerunt; qui offenſæ ſibi illatæ facere gratiam detrectârunt; qui graviter detraxerunt; qui lividè inviderunt; qui pacem & charitatem domeſticam ſuſurrationibus, & diſcordiæ colliſionibus, turbârunt: conturbabit tunc & exanimabit fulmen Divi Joannis, *Filii-tonitrui*, vociferantis; *Qui non diligit* [aut, qui Dilectionem deſtruxit] *manet in morte.* [*RRR.*] Eos, qui Occulta, & Abominationes annorum complurium, ad illud uſque punctum, Conſcientiæ Judici nunquam retexerunt; illud attonabit divini Spiritûs pronuntiatum; *Qui* A B S C O N D I T *ſcelera ſua, non dirigetur.* [*SSS.*] Eos, qui mercimoniis, cauponis, contractibus, furto, rapto, fraudibus, uſuris injuſtis, aliena bona corraſerunt, corraſa retinuerunt, & retenta nec in illam uſque horam reſtituere laborârunt; T A L E N T U M [*TTT.*] P L U M B I [illegitimè videlicet acquiſita vel poſſeſſa] corde tenus premet & opprimet, reputantes

tantes apud animum ſuum; Etiam *noviſſimum quadrantem* injuſtum ſuper Animam eorum combuſtum iri: & [quod Divus quondam Auguſtinus pronuntiavit]; *Si* RES ALIENA, *propter quam peccatum eſt, cùm reddi poſſit, non reddatur: non* AGI *Pœnitentiam; ſed*, FINGI. *Si autem veraciter non agatur*; NON REMITTI PECCATUM, NISI RESTITUATUR ABLATUM. [*VVV.*] Denique [ne producam & enumerem Omnes] *profundis demerſos libidinibus*, & *amorum cœno*, ſuæ torquebunt & urent fœditates: ac Scriptura, clamans; *Non intrabit in eam* [Jeroſolymam videlicet cœleſtem] *aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens.* [XXX.] &; *Fornicatores, & Adulteros, iudicabit Deus,* [*YYY.*] &; *Pars illorum erit, in Stagno, ardenti igne & ſulphure.* [ZZZ.] In quibus tamen *Omnibus* [tametſi vel graviora forent recenſitis] *ne tunc quidem*, cum hodierno Sceleſto, DESPERANDUM eſt: ſed omni conatu enitendum, ut ex toto nos corde pœniteat. licèt [verum ut fatear] *plerumque tunc Dolor & pœnitentia*, tam Sera, támque diu ſtudioſè dilata, *magno ſit in periculo.* Quod ne fiat: agè, dilectiſſime! nunc, [oro te] nunc, dum tutum eſt, nunc vitam tuam vitioſam omnem relege, retexe, & emenda: nunc jam extra *Deſperationis* illius maledictæ aleam temet conſtitue, per *Abſolutionis* Sacramentum. *Nunc tempus acceptabile, nunc dies ſalutis!* [*AAAA.*]. Da hoc, da [quæſo] honori venientis in proximo Feſti, *Incarnati* pro te VERBI: da cultui *Matris*, quæ *Verbum* immaculatè concepit: immò, da hoc ipſi tibi, Animæque tuæ Saluti; in tuto vel nunc de-

mitti

Prespyter Liziniacenſis.

rium collocandæ. *Miſerere Animæ tuæ, placens Deo; & contine: & congrega Cor tuum in ſanctitate eius: & triſtitiam* (olim alioquin ad deſperationem te pertracturam) *à te* (per Confeſſionem ſynceram; & pœnitentiam lacrymoſam) *longè expelle. Multos enim occidit* (æternâ morte) *Triſtitia* (BBBB.) deſperabunda. Caveſis; inter *Multos* illos ne & TE ſuperaddat ad numerum, atque interitum, *Infelix* ille *Mœror*!

TESTIMONIA.

(A.) 3. *regnum cap.* 5. *verſ.* 4. (B.) *ad Hebræos cap.* 9. *verſ.* 27. (C.) *Eccleſiaſtæ* 11. *Verſ.* 7. 8. 9. (D.) *Eccleſiaſtici cap.* 41. *verſ.* 1. (E.) *verſ.* 17. (F.) 2. *reg. cap.* 17. *verſ.* 23. (G.) 1. *reg. cap.* 31. *verſ.* 4. (H.) *Actor* 1. *verſ.* 18. *& Matthæi cap.* 27. *verſ.* 5. (I.) *Nicetas Hierem. Drexelii, lib.* 2. *cap.* 12. §. 9. *ex Ioanne Maiore, in Collectione exempll. V.* Deſperatio, Ex. 9. (K.) *Tomo* 4. *Theolog. ſuæ, diſput.* 2. *quæſt.* 2. *dub.* 3. *num.* 78. (L.) *De Perfectionib. Divinis.* (M.) *Coloniæ editâ, anno* 1618. *in fol.* (N.) *In annum Chriſti* 1126. *num.* 3. (O.) *In hoc diſſentientem nonnihilo Martinum Marrierum reperias, in editione Colonienſi prædicta; initio Vitæ* Petri. (P.) *Gallicè*, Poictiers. (Q.) *ad Epheſi* 5. *v.* 5. (R.) *Matth.* 15. *v.* 13. (S.) *Ad Hebræos* 11 *verſ. ult.* (T.) *Matth.* 18. *verſ.* 10. (V.) *Malach.* 1. *Verſ.* 7. (X.) 1. *Corinth.* 6. *verſ.* 9. *&, ad Galat. cap.* 5. *verſ.* 19. (Y.) *Vide Ortelium in tabula Pictavorum.* (Z.) *Daniel. cap.* 13. *verſ.* 52. (AA.) *Eccleſiaſtæ cap.* 1. *v.* 15. (BB.) *verſ.* 14. (CC.) *ad Roman. cap.* 2. *verſ.* 5. (DD.) *cap.* 11. *verſ.* 29.

Presbyter Liziniacenſis.

[EE.] *ibidem, verſ.* 29. [FF.] 1. *Petri, cap.* 4. *v.* 18. [GG.] *verſ.* 13. [HH.] *cap.* 5. *verſ.* 8. [II.] *Apocalypſ.* 12. *verſ.* 12. [KK.] *libr.* 24. *moralium* [LL.] *Apud Ludovicum Granatenſem, Ducis Peccatorum lib.* 1. *Part.* 2. *cap.* 24. [MM.] *Libro* 31. *moral.* [NN.] *Idem, homil.* 13. *in Evangelia* [OO.] *apud Dionyſ. Carthuſ. de* 4. *noviſſ. artic.* 12. *tract.* de Morte [PP.] *Luc.* 10 *verſ.* 41. [QQ.] *Apocalypſ.* 21. *verſ.* 8. [RR.] *Matth.* 25. *verſ.* 41. [SS.] *Iſaia* 33. *verſ.* 14. [TT.] *Pſalm.* 48. *verſ.* 8. [VV.] *Ezechiel cap.* 14. *v.* 14. *&* 16. [XX.] *Proverbior.* 11. *v.*4. [YY.] *Ad Hebr. cap.* 9. *verſ.* 27. [ZZ.] *numero* 78. [AAA] *Vide Diſquiſitionum magicarum editionis ultimæ Apologiam, præfixam, & repoſitam accuſationi* Malvendæ. [BBB.] *Amos.* 6. *verſ.* 1. *&* 4. [CCC.] *verſ.* 21. [DDD.] *Iob.* 13. *verſ.* 15. [EEE.] *pſalm.* 31. *verſ.* 5. [FFF.] *Threnor c.* 2. *verſ.* 18. *&* 19. [GGG.] 2. *Paralipom. cap.* 24. *verſ.* 21. [HHH.] *Sapientiæ cap.* 11. *verſ.* 17. [III.] *Luc.* 16. *verſ.* 24. [KKK.] *cap.* 14. *verſ.* 32. [LLL.] *Ieremiæ cap.* 2. *v.* 19. [MMM.] *verſ.* 22. [NNN.] *ad Roman. cap.* 2. *verſ.* 9. [OOO.] *S. Auguſtin. ſermone* 37. *de tempore, citatus ab* Octaviano de Tufo Neapolit. *in caput* 5. *Eccleſiaſtici, verſ.* 9. [PPP.] *apud Anton. Dauroult. cap.* 8. Florum, *titul.* 18. *citantem & Thom. Cantiprat. lib.* 2. *apum cap.* 54. *Part.* 18. *& alios.* [QQQ.] *tract. ſeu, Concionib. de* 4. *noviſſimis.* [RRR.] 1. *Ioan. cap.* 3. *verſ.* 14. [SSS.] *Proverb.* 28. *verſ.* 13. [TTT.] *Zachar.* 5. *verſ.* 7. (VVV.) *S. Auguſtin. epiſt.* 54. *ad Macedonium.* (XXX.) *Apocalypſ. cap.* 21. *v.* 27. (YYY.) *ad Hebræos cap.* 13. *verſ.* 4. (ZZZ.) *Apocalypſ.* 21. *verſ.* 8. (AAAA.) 2. *ad Corinth. cap.* 6. *verſ.* 2. (BBBB.) *Eccleſiaſtici* 30. *verſ.* 24. *&* 25.

Peſtife-

Presbyter Liziniacenſis.

Peſtiferorum Peccati Mortalis Fructuum.

EXEMPLVM TRAGICVM VI.

CATHARINA PERVANA, SACRILEGE CONFITENS, ET OBSTINATE IMPOENITENS.

Peccata Mortifera Fructum progignere, tum alia damna plurima, tum frequentationem Sacrilegarum Confeſſionum: ex his deinde, Confeſſionis Syncera, in Extremis potiſſimùm peragendæ, obſtinatum neglectum, & Contemptum; tandémq; Mortem in Impœnitentia Finali.

Dictum 25. Martij, ſeu, Sabbato, ante Dominicam Paſſionis, ipſo Feſto Annuntiationis Beatiſſimæ Virginis: Veſperi.

I. PECCATORUM *Mortalium*, præter ennumeratos hucuſq;, complures ſunt alii FRUCTUS *Peſtiferi*, amariſſimíque; per Divinas nobis Scripturas paſſim declarati. Cujuſmodi ſunt (ut in compendium quoddam potiores conſtringam,

& eos indicem) quòd Peccata mortifera *Separent animam delinquentem, à Deo. Ieremiæ* ſecundo capite, verſu 5.] Quòd Peccatorem *Deo abominabilem & inviſum* reddant. *Iobi* decimo quinto, verſu 16. Quòd *turpem, immundum, fœtentem, hircum, hœdum, & cadaver,* efficiant. *Iſaiæ* trigeſimo, verſu 22. & capite ſexageſimo quarto, verſu 6. *Ad Hebræos* capite nono, verſu 14. *Zachariæ* decimo, verſu 3. *Matthæi* vigeſimo quinto, verſu 32. Quòd item *Cæcum* & ipſasmet imò *Tenebras*, eum conſtituat. *Soponiæ* primo, verſu 17. & *ad Epheſios* quinto, verſu 8. Quòd *Induratum adverſùs Omne Bonum*, ac ſalutis negotium: quòd *lapidei Cordis* hominem reddat. *Ieremiæ* trigeſimo, verſu 14. *Ezechielis* quoque trigeſimo ſexto, verſu 25. Quòd *Omnia Spiritualia* guſtui illius *amara*, crudíque veluti ſaporis, faciat, *Numerorum* vigeſimo primo, verſu 5. & *Ioannis* ſexto, verſibus 60. & 66. Quòd *Orationes* illius & *Opera Bona* reliqua redigat *infructuoſa*; hoc eſt, *De Condigno non meritoria. Aggæi* 1. v. 5. & 6. Quòd in *periculum* conjiciat, etiam *Fidei amittendæ*, ex *repulſa bonæ conſcientiæ*. Epiſtolæ *primæ ad Timotheum* capite primo, verſu 19. Quòd *præcedentium omnium meritorum iacturam* faciat, etiam *ex unico Peccato* Lethifero. *Eccleſiaſtæ* nono, verſu 18. *Iacobi* capite ſecundo, verſu 10. quod ipſum, nec aliud, vult, & docet, *Divus Thomas Aquinas*: cùm, *Per quodlibet Peccatum mortale* affirmat, *Omnia priora Merita mortificari*. Secundâ ſecundæ, quæſtione centeſima trigeſima ſecundâ, articulo 3. ad 1. Quòd præterea *Peccatorem* ejuſmodi, rebus etiam in *temporalibus perplexum* ac *Stultum* efficiat: ac fortunarum omnium

Digitized by Google

mnium ſuarum *maledictionibus* involvat; tam *in ſe*, quàm *in poſteris* ſuis, & *in tota* quandoque *communitate* vel republica. *Pſalmo* undecimo, verſu 9. *Proverbiorum* undecimo, verſu 18. *Deuteronomii* vigeſimo octavo, à verſu 15. *Eccleſiaſtici* quadrageſimo primo, verſu 12. *Sapientiæ* tertio, verſu 12. *Ioſuæ* capite vigeſimo ſecundo, verſu 17. Quòd *Conſcientiam* peccantis lethaliter, incredibili modo, *perturbet*, *angat*, *&* *aggravet*. *Iſaiæ* capite quinquageſimo ſeptimo, verſu 22. *ad Romanos* ſecundo, verſu 9. *Iſaiæ rurſus* vigeſimo quarto, verſu 20. Quòd (ut alia plurima prætermittam in præſens) *omni* denique *Spe bonâ* Salutis, *in perpetuum*, hominem deſperatum *privet*: ſicut *Proverbiorum* decimo, verſu 28. Spiritus ſanctus pronuntiat; ac nos in *Liziniacenſi Presbytero* nuperrimè vidimus, & exhorruimus.

II. Veruntamen, tam his, quàm aliis *Omnibus*, & quibuſcunque *Paccati Mortiferi peſtilentibus* damnis atque FRUCTIBUS, medicinam adferre poteſt Theriaca veræ perfectæque *Pœnitentiæ*: hoc ipſo, quòd (ut docet Angelicus Doctor, parte prima, quæſtione ſexageſima nona, articulo 2.) OMNIA *Peccata*, IN HAC VITA, *Remiſſibilia ſunt*. & idem Scriptura divina profitetur, Iſaiæ primo capite, verſu 18. clariſſimè verò, apud Ezechielem, capite decimo octavo, verſu 22. SI IMPIUS *egerit* POENITENTIAM, *ab omnibus peccatis ſuis*: *&* *cuſtodierit omnia præcepta mea* : *&* *fecerit iudicium & iuſtitiam*; VITA VIVET, *&* NON MORIETUR, (ex his *Peſtiferis Peccati Lethalis* FRUCTIBUS deguſtatis). Pergítque; *Omnium Iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor*,

Catharina Impœnitens.

Digitized by Google

dabor. In Iuſtitia ſua, quam operatus eſt, VIVET. O, verba conſolationis, aurea! Verba, *Dulciora ſuper mel & favum*! (*A.*) Quis jam DESPERET? cùm præſertim, & in Lege nova, clariſſimè Divus *Ioannes* clamet, Domini Dilectus; *Sanguis IESV Chriſti* (cujus Sacroſanctum pretium in *Pœnitentia* reſipiſcentibus applicatur) *emundat nos* AB OMNI PECCATO. (*B.*)

III. Eſt autem POENITENTIA, *generatim*; DOLOR, *de Peccato præterito, & eiuſdem deteſtatio, cum Propoſito, abolendi illud. &c.* juxta S. Thomam Aquinatem in tertia parte, quæſtione octogeſima quinta, articulo ſecundo, ad tertium: & articulo 1. ad 2. At verò, *particulariùs* de *Pœnitentia* loquendo: eámque, ut nunc in Lege Chriſtianâ, ac *Sacramentum*, eſt, breviſſimè definiendo; *Sacramentum eſt Abſolutionis à Peccatis, Ritè pœnitentis, & Confeſſi.* Quæ definitio, præter cæteros, Adami quoque Tanneri eſt, Tomo quarto Theologiæ, diſputatione ſexta, quæſtione 1. (*C.*) Ex ea porrò eruitur; TRES eſſe *Pœnitentiæ Sacramentalis* PARTES (ut eas vocant, Dionyſius Carthuſianus, Antonius Dauroultius, capite quinto, & alii: Laymannus autem, Tannerus, ac Scholaſticorum cæteri, MATERIAM *Pœnitentiæ* PROPINQUAM appellant): quibus *Partibus tribus; ſimul ſumptis*, divus Thomas, TOTAM *ineſſe* dicit *Eſſentiam huius Sacramenti* (ſecundùm *partem* videlicet *Materialem*; ut explicat Tannerus, Tomo quarto, quæſtione primâ, numero 34.) CONTRITIONEM videlicet CORDIS, & CONFESSIONEM ORIS, ac SATISFACTIONEM OPERIS (juxta loquendi modum ejuſdem

Digitized by Google

juſdem Divi Thomæ, parte tertiâ, quæſtione 90. articulo 2. ad 4.) Quæ omnes *Tres Partes* requiruntur (id, quod accuratè notent rudiores) ad *Pœnitentiæ Sacramentum*; tum inſtanti jam Paſchali tempore, tum alio quovis, obeundum.

IV. CONTRITIO, inquam, CORDIS: quæ, ſi *Perfecta ſit*, continet *Dolorem de Offenſo Deo, ſuper Omnia* (*virtualiter* ſaltem) *appretiativè Dilecto* (D.): Continet, *Deteſtationem actualem Peccati ſummam* (*appretiativè*) hoc eſt, *Super omne deteſtabile*: & quidem, OMNIUM *omnino Peccatorum Lethalium*, *ſic*, *ut* nullum, ac ne unicum quidem, à dolore hoc, & deteſtatione, eximatur: (E.) *Omniſque ad ea affectus gliſcens*, *& voluntarius*, *exuatur*; cùm (ut ait Sanctus Thomas, parte tertiâ, quæſtione octogeſimâ ſeptimâ, articulo primo, ad primum) *ſtante, ad aliquod eorum, voluntate: quamdiu iſta manet, dimitti nec Illud, nec Aliud ullum, poſſit.* Ex conſequenti igitur, PROPOSITUM quoque, *abſtinendi* deinceps *ab omnibus Mortalibus* delictis. & *emendandæ* eatenus *Vitæ*, requirit CONTRITIO: ſive jam *formale ſit* illud *Propoſitum*, & *explicitum*; quod (per ſe loquendo) *neceſſarium* eſſe, quidam *Doctores* tradunt: ſive, certo aliquo caſu, *Virtuale* & *Implicitum*, ſufficiat. (*F.*) Et hæc eſt P*œnitentiæ Prima pars*, CORDIS videlicet CONTRITIO: à qua tamen, in ipſo *Sacramenti uſu*, ATTRITIO (quæ eſt, hòc loco, *Contritio Imperfecta*; ex *motivo* tamen *Doloris* ac deteſtationis *Supernaturali*) nequaquam excluditur: quippe, ſaltem extra Mortis articulum, ac tempora illa, quibus præceptum *Perfectæ Contritionis* obligat, ad remiſſio-

miſſionem peccatorum, adjunctâ *Confeſſione*, ſufficiens. (*G.*)

V. *Pœnitentiæ Sacramentalis* Altera *Pars*, CONFESSIO eſt, velut dixi, ORIS: qua ſcilicet Peccator, non ſcripto, nec per internuntiũ, ſed *Ore proprio*, quoad poteſt, confitetur Sacerdoti, (*poteſtatẽ abſolvendi habenti*) adversùs ſe injuſtitiã ſuam & ſcelera, cum prævia conſcientiæ diſcuſſione, præcontritè, clarè, intelligenter, diſtinctè, integrè, verecundè, devotè: &, ſi *Mortalia* ſint *Delicta*, cum ſpecie ſua, numeróque, quin & cum Circumſtantiis; quoties hæ, ſaltem *ſpeciem* peccati *mortaliter mutant*. De quibus, quoniam anno toto multa, multis in Concionibus, dicuntur, ac dici debent: hodierno die materiam iſtam in præſumptis habeo; neque pluribus eam diduco.

VI. *Pars* ejuſdem *Pœnitentiæ* Tertia, SATISFACTIO eſt OPERIS: præſertim autem, à *Sacerdote* impoſiti, partim *in Vindictam Peccatorum*, quâ Deo offenſo ſatisfaciamus; partim verò, *in Remedium animæ*. quod eſſe debet aliquo modo *Pœnale*; convenitque ut plurimùm, *Opus* eſſe quoddam *Externum*: cujuſmodi ſunt, Oratio Vocalis, Jejunium, eleemoſyna, corporis aliqua caſtigatio, gravior leviórve, pro ratione Culpæ, & conditione Pœnitentis, ac magnitudine parvitatéque deprænhenſæ in eo Contritionis. (*H.*) Et *tale Opus iniunctum* Pœnitenti *in Confeſſione*, vim habet *Ex opere operato* delendæ *pœna temporalis*, peccatis debitæ: ídque ex inſtitutione Christi. (*I.*)

VII. *Singula* trium partium harum, ad medendum Peccatori, & ad evacuandos Mortalium ſcelerum Peſtiferos fructus, *neceſſaria ſunt.*

CON-

Catharina Impœnitens.

CONTRITIO quidem CORDIS, ex Deuteronomii quarto, verſu 29. *Cùm quæſieris ibi* (in Exilio, in quod ejectus fueras ob Peccata gravia) *Dominum Deum tuum, invenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris, & totâ tribulatione animæ tuæ.* Quibus conſonant, & quæ Baruch pronuntiat, de ejuſmodi pœnitentis *Anima, quæ triſtis eſt ſuper magnitudine mali* (quod, delinquendo graviter, admiſit) *& incedit curva, & infirma; oculi* ejus *deficientes.* (*K.*) CONFESSIO verò ORIS, requiritur: ex primâ Joannis, capite primo, verſu 9. *Si Confiteamur Peccata noſtra; fidelis eſt, & Iuſtus, ut remittat nobis Peccata noſtra: & emundet nos ab* OMNI *Iniquitate.* Sed, particula, SI, *conditionem* ponit CONFITENDI; & quidem, HOMINI; non autem *Soli* DEO: ſicut nobis Jacobi Apoſtoli Catholica præcipit epiſtola, capite quinto, verſu 16. *Confitemini* ALTERUTRUM *Peccata veſtra. homo* videlicet Peccator, *homini*; non cujvis, ſed ex eorum ordine, quibus tam pro ſe, quàm pro ſucceſſoribus eorum, dictum à Chriſto eſt, Joannis vigeſimo, verſu 23. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: &, quorum retenueritis, retenta ſunt.* Alioquin (quod & alibi diximus, inculcavimúſque) ex prædictione Spiritûs Sancti, Proverbiorum vigeſimo octavo, verſu 13. QUI ABSCONDIT SCELERA SUA, NON DIRIGETUR: *Qui autem* CONFESSUS *fuerit, & Reliquerit ea; miſericordiam conſequetur.* SATISFACTIO denique OPERIS, exigitur, à Pœnitente, Lucæ tertio capite, verſu 8. *Facite Fructus dignos Pœnitentiæ.* &, Joëlis ſecundo, verſu 12.

Convertimini ad me, in toto corde veſtro in Ieiunio, & in fletu, & in planctu. Unde, de SATISFACTIONE *Concilium Tridentinum* Seſſione 14. c. 8. dicit; *Satisfactionem, eſſe Securiorem Viam,* & NECESSARIAM, *ad Perfectam animæ Liberationem.*

VIII. Sed, licèt *Neceſſariæ* ſint *Omnes* hæ *tres Partes* Pœnitentiæ (alia magìs aliâ;) *amaræ* tamen & *prægraves* Peccatori videntur & accidunt; alia magis aliâ. *Dura* Pœnitenti, *Anima, quæ triſtis eſt ſuper magnitudine mali, & curvus inceſſus, & Oculi deficientes* (ut ex Baruch ſuprà dixi, capite ſecundo, verſu 18.) Nec ſuave; *In Cinere & Cilicio pœnitentiam agere* (apud Lucam, capite decimo, verſu 13.): *Deducere̓que, quaſi Torrentem, lacrymas per diem ac noctem* (Threnorum ſecundo, verſu 18.) *ingredi ſeorſum, & jacére ſuper terram* (ut David fecit, primi regum capite duodecimo, verſu 16.) *Dura,* hæc, inquam. *Duriora* tamen, & mortalium pleriſque *duriſſima,* Coràm HOMINE (tametſi loco DEI ſedente) fateri HOMINEM delicta ſua; præſertim, *Occultiora,* vel magìs-erubeſcenda: adeò quidem, ut affirmare non dubitet Divus Gregorius Magnus, libro moralium vigeſimo ſecundo; *Gravioris plerumque certaminis eſſe, commiſſa peccata* PRODERE, *quàm nondum admiſſa* VITARE.

IX. Sed, ſive Tolerabile iſtud & leve Chriſtiano homini, ſive grave & intolerabile *Remedium* videatur: ALITER VENENUM NON EJICITUR. *Abſque Confeſſione, Peccator* MORTUUS *reputatur* (inquit Divus Bernardus) *Confeſſio, eſt Peccatoris* VITA. (*L.*) Et è contra-

Catharina Impœnitens.

contrario; *Si non Confeſſus*, *lates* (ait, ſuper pſalmos, Divus Auguſtinus) *inconfeſſus* DAMNABERIS. (*M.*) Et quicunque *Opus* hoc *Domini* FRAUDULENTER, frequentérque ſacrilegè, *facit*, *maledictionem* (à Jeremia intentatam) incurret; eámque *Duplicem*. alteram quidem, *probabiliter*, & ex periculo, multorum experimentis firmato; alterum verò, *infallibiliter*, & ex decreto ipſius Dei, adversùs *finaliter-Impœnitentes* fulminato. *Maledictionum* harum utramque Charitas veſtra, quæſo, non obiter tantùm audiendam ſibi, ſed penitis recondendam ſenſibus exiſtimet.

X. PRIMA eſt igitur *Maledictio*: quòd ex *ſæpe-frequentata-Sacrilegâ*, ſeu, *ſtudiosè-mortiferum-aliquid-cœlante Confeſſione*, Divina tandem Ira incurritur, euſque nonnunquam; ut, juſto denique Dei judicio, Pœnam incidat Peccator aut Peccatrix, ſubtrahendæ ſibi divinæ *Gratiæ Efficacis*; ad Confeſſionem *ſaltem Finalem*, bene, piè, integréque peragendam. Hujus Pœnæ nullum quidem Spiritûs Sancti, divinæque Scripturæ, decretum (opinor) expreſſum proſtat. Ex *Effectu* tamen *& exemplis* eorum colligitur, qui magno numero, gratiam ideò, *in tempore oportuno* ac neceſſario, non niſi *Sufficientem* habuerunt, nec ad illius uſque *Efficaciam* pertigerunt: quoniam cùm ea frequenter antehac, non modò, cùm opus eſſet, operati non ſunt; ſed inſuper, quaſi per ludibrium & contemptum eâ ſunt abuſi: ideóque meruerunt, ut, quia id, *quod habuerunt*, ſic habuerunt malè, quaſi non haberent; etiam illud, *quod habebant*, *auferretur ab eis* (*N.*): &, qui tam *profanos* ſe in re *Sanctiſſima* (Sacramenti Pœnitentiæ) exhibuerunt, ut illam violare nefariâ

fariâ fraude non dubitarent; poſtea (tanquam alter *Eſau*) *reprobati, non invenirent Pœnitentiæ locum.* (ut loquitur ad Hebræos 12. S. Paulus. v.36. & 37.) propterea, quòd (ut eâdem epiſtolâ, cap. 10. v. 29. idem Apoſtolus loquitur) *filium-Dei* (Sacramenti hujus inſtitutionem, & Peccatori, ritè Confitenti, remiſſionis gratiam in eo offerentem) *conculcaverit: & Sanguinem-Teſtamenti* (cujus pretium, in eo myſterio, animæ verè-pœnitenti impenditur & applicatur,) *pollutum duxerit: & Spiritui gratiæ* CONTUMELIAM *fecerit.* Pro his igitur (ut idem ſubdit) *Vindicta* peccatorem & peccatricem ejuſmodi, manet: pro his *iudicabit Dominus populum ſuum; in cuius* (tanquam Dei Viventis) *manus incidere, horrendum eſt.* (verſu 30. & 31.): pro his, ii, qui ſic divina tractāt, *deteriora*, veteribus illis Legis contemptoribus, *Supplicia merentur.* (verſu 29.) Et cur? quoniam *ſpiritui* tantæ *Gratiæ* (quam Chriſtus illis, in pretioſo Sanguine ſuo, quo eos abluturus erat, offerebat) CONTUMELIAM *fecerunt*: toties ſacrilegè, per *Confeſſiones*, ſcienter, voluntariè, ſtodioſéque *mortalia cœlantes peccata*, Sacramenta, tanquam rem profaniſſimam, obeundo & ſuſcipiendo. Quæ, numquid non inſignis Dei CONTUMELIA? numquid non ingens ac manifeſtus, aut certè quidem *Interpretativus*, æternæ majeſtatis CONTEMPTUS eſt? in iis potiſſimùm, qui non ſemel, iterum, tertiùm aut quintùm, per infirmitatem humanam, ſed admodum crebrò & malitioſè, *Sacrilegia* hujuſcemodi ſpiſſant & iterant: eò uſque, ut parvi tandem, immò *flocci*, facere *Peccatum tam grande* videantur: in eóſque meritò cadat illud quandoque (judice

Catharina Impœnitens.

(judice S. Thomâ, in ſecunda ſecundæ, quæſtione 86. articulo 9. ad 3.) quod Proverbiorum decimo octavo, verſu 3. pronuntiatur ; *Impius, cùm in profundum* (ſceleratæ videlicet conſuetudinis) *venerit*, CONTEMNIT. cùm ſanè eodem Sancto Doctore teſte (loco citato) *Peccati alicuius* FREQUENTIA, *diſpoſitivè ſaltem inducat ad* CONTEMPTUM: aut etiam (ut Auguſtinus Hunnæus, Lovanienſis Theologus, interpretatur ac ſentit) DEI ſubinde *Contemptum implicet*. (O.) Ad ſummam igitur! Qui tam impudentem *ſpiritui gratiæ* CONTUMELIAM *fecerint*: qui tam protervè *filium Dei conculcaverint*, & tam neglectim *Sanguinem teſtamenti pollutum duxerint*; & *toties* quidem in magna vitæ ſuæ parte, támque hypocriticè: nónne viciſſim à Divina majeſtate, viliſſima capita, *Gratiæ Efficacis* (ad ſyncerè ſalubritérque confitendum, ac pœnitendum, in Fine Vitæ) *ſubtractionem* merebuntur? immò ſæpe reipſa quoque incurrent? *Nónne* (ſicut per Iſaiam comminatus eſt, capite trigeſimo tertio) *qui ſprevit, & ipſe ſpernetur? qui contemſit, cùm deſinet* (per mortem) *& ipſe contemnetur?* (*P.*) *illuſúſque in Interitu* (ſicut divinum habet verbum) *à Deo ridebitur?* (Q.) Et hæc *Sacrilegarum Confeſſionum*, *Prima* eſt, quam dixi, (probabilis ſaltem, & plurimorum infelici exitu confirmata) *Maledictio*: *Gratiæ* videlicet *Efficacis*, ad ritè ſub finem vitæ pœnitendum confitendúmque, *iactura*; in Pœnam, toties in vita frequentatæ perfidiæ Exomologeticæ, irrogata.

XI. ALTERA verò *ex Duabus*, quas indicavi, *Maledictionibus* eſt: poſt ſic finitam in Impœnitentia Finali vitam, *Supplicium* animæ peccatricis

cis in altera Vita. Utramque Maledictionum harum, tam hodierno, quàm craſtino, auditorio conventúque, Charitati veſtræ, per *Tragicum Exemplum bipartitum*, oſtendam. Id cum fide poſteris tradidêre, viri religioſi, probatíque ſcriptores: Gaſpar Spitillus in Litteris annuis Societatis, anni 1590. & anno 1591. Franciſcus Bentius, in iiſdem: Antonius Dauroultius, Florum capite 5. titulo 38. Petrus Thyræus, Parte 1. de locis Infeſtis, capite 1. Martinus Antonius Delrius, diſquiſitionum magicarum libro 2. quæſtione 26. Sectione 5. Joannes Hayus Scotus, in Collectione epiſtolarum Indiæ, titulo, Miſſionis Peruanæ (*R.*): aliíque complures. Quæ quidem Hiſtoria, veſtrum non paucis jam in vitam editis, anno videlicet abhinc ſexageſimo & uno, incidit; adeò certa conteſtatáque: ut regionis illius, in qua evénit, multa tunc hominum milliarem geſtam intimè cognitam habuerint; proximóque pòſt anno, novis rurſus Annuis confirmata ſit ac ſtabilita. Res autem omnis in hunc eſt geſta modum.

XII. In Americæ Meridionalis regno Peruviano, provincia eſt, & urbs, ITATA nomine. Hujus urbis in palatio ſeu caſtello, *Matrona* quædam, primæ apud gentem illam dignitatis, habitabat: oppidi (velut apparet) adjunctæque regionis, Gubernatrix ſeu Præfecta; eo modo, quo conjuges à Viris ſuis officiorum & appellationum communionem trahunt. Hujus in Matronæ familia & obſequiis *Adoleſcentula* quædam erat, decem circiter & ſex annorum natu: quæ ab Hiſpanis bello capta de barbaris, & familiæ illi (quam dixi) ſeu pretio redempta, ſeu gratuitâ donatio-

donatione adſcripta; liberæ libertæve more ſerviebat. ſensímque Fidei noſtræ [cùm pagana priùs & idolorum cultrix fuiſſet] ſacroſanctis imbuta myſteriis, ac baptiſmo demum regenerata, CATHARINÆ nomen, quod *Puritatem* Munditiémque ſonat, accepit. Sed ipſa, proceſſu, tam annorum, quàm licentiæ laſcivientis, cœpit minùs ac minùs tam caſti *Nominis* reſpondere dignitati: Cúmque morum diſſolutiorum reprehenſionem, caſtigatricis heræ ſeveritate, ſæpe ſæpius ingeſtam, ventis ac ſomnis traderet aſportandam: eò denique demerſa miſeriarum eſt, unde pedem ægrè retraheret. Quid vultis? Huc rerum, ac malorum, *Omnes Diſſoluta* veniunt. Amare cœpit: Amari cœpta eſt. neque contenta colloquiis, malitiam libidinoſis implevit furtis: procacibúſque juvenibus (quorum in illo tum palatio, tot inter famulos, cubicularios, ſcribas, honorarios ephebos, deeſſe copia non poterat) clanculum corpus, ac frequenter quidem, indulſit.

XIII. Non hîc opus, plura dici, quàm à me dicta ſunt antehac, in *Caſtelperſia*. Qui, NUGAS eſſe, *Puellares* ac Juveniles *amores*, dicunt: hi (quod tunc ajebam, & nunc repeto) *cum Diabolo loquuntur*, & *Ore Sathanæ* blaterant; neſcientes, quid garriant. Hoc fateor. non imprægnata *Catharina* eſt. Sed talibus uſa turpitudinum myſteriis & Abominationibus eſt; quales perſequitur & exſecratur Thomas Cantipratanus, vir doctus & gravis, Divi Thomæ Aquinatis, ſub B. Alberto Magno, Condiſcipulus, & Epiſcopus-Suffraganeus Cameracenſis qui, *DEUM conteſtatus*, *Spem communem omnium Bonorum* (pono verba illius ipſiſſima) audacter pronuntiat, Tali-
bus

bus, ſolius cum ſola, colluſibus amatoriis, ac ſterili turpitudine, *plus contra Pudicitiam peccari crebrò, quàm, ſi* DECEM *pueros de propriis fratribus genuiſſent. Quæ enim* (inquit porrò) *quæ comparatio peccati naturalis, ad Innaturale flagitium?* [S.] Unde (propter obſcœniſſimas ejuſmodi immunditias, quæ ex nefariis Amoribus procedunt) ſancta mater Eccleſia, tot jam à ſæculis, ſollicitè Deum orat; *A Spiritu Fornicationis libera nos, Domine!* qui ſanè *fornicationum ſpiritus* (Aſmodæus) præcipuè flat, & prunas ardere facit, in clandeſtinis talium concluſorum commerciis.

XIV. Talia, vel talibus ſimillima, perpetrabat ac patiebatur impudica hæc *Catharina*: oblita (cum omnibus ſui ſimilibus) ſe in Corpore ſuo dehoneſtare ſexûs ſui gloriam atque Caput; benedictiſſimæ Virginis (inquam MARIÆ immaculatiſſimos artus atque membra: ſanctiſſima puritatis, (pluſquam Solaris,) Viſcera; intrà quæ *Solem Iuſtitiæ, Chriſtum*, hodierna luce concepit. Videte autem (dilectiſſimi) videte, quæſo, recordaminíque; quàm in *Caſtelperſia* nuper verè veracitérque dixerim; *Inter cæteros innumerabiles Fructus Peſtiferos Amorum puellarium* iuvenilliúmque, *etiam eum progigni: Vt* SACRILEGE *poſtea, & imminutè, mendacitérque,* CONFITERI *ſoleant iſta tales.* Quod ingens ſcelus, affine quidem eſt *Omnibus*, inter Sordes ejuſmodi volutari ſuetis (cum ſanè *Omnis, qui malè* impuréque *agit*, præcipuéque, Opera Tenebrarum, *lucem oderit* claræ apertæque Confeſſionis) particulatim tamen frequentius ac *ſollemnius eſt*, hoc nefandum in ſacro tribunali de

ſe Si-

ſe Silentium *Infirmiori Sexui*: hoc eſt, Matronis, Viduis, Puellis; quæ, cùm in cœnum libidinis inverecundiſſimè prolapſæ jam ſunt, ibi tũ demũ ſui Sexûs *Venerabilem* (ut putant) ac ſtolatã *Verecundiã* aſſumunt? ubi vincere vel inprimis illam & ſeponere, ſuo modo, deberent, in ſeipſis de commiſſo flagitio accuſandis. Quod igitur *generatim* in *Caſtelperſia* tunc dixeram, de procacibus Amatricibus omnibus; Eas videlicet ſacrarum Confeſſionum fieri Violatrices: hoc in hac nominatim Puella, de qua narrare ſum exorſus, uſu vénit.

XV. Solebat (Dominæ utique ſuæ laudabili conſuetudine) *Catharina* hæc ſacrum frequenter admodum adire Confeſſionis tribunal ac myſterium: Haud dubium, quin totidem ferè vicibus & divinam Synaxin. Sed *gemino* ſemper *ſcelere novo*, ab iiſdem ſanctiſſimis Sacramentis recedebat. Nam & ſemper turpitudines ſuas furtivas ſupprimebat, ſive cum juvenibus, ſive ſolitariè, exercitas: & ad dominicum deinde Corpus accedebat indignè, *indicium ſibi manducans*; *nec diiudicans* à porcina carne mundiſſimum *Domini Corpus*. Quid igitur? (inquit aliquis) quid confitebatur, ſi hæc tam gravia deteſtandáque non prodebat? Audies, ex ipsámet: non hodierno tamen, ſed craſtino, Veſpere; quando, referente me, Confeſſionum ſuarum materiam narrabit. At; *Quomodo* (inquis) *confitebatur*, talia præteribat? Luctabatur videlicet, & *premebat labiis* (ait Bencius, in hujus hiſtoriæ narratione) immò volutabat ac revolutabat intrà palatum & fauces, tandémque penitùs reſorbebat intrà præcordia, quidquid flagitii, conſcientiam urentis, promendum erat & evomendum, in quo, hæc malè-ſanæ

mentis puella eos imitabatur, qui fervidum jus, aut bolum, per imprudentiam comedentes; poſteaquam diu multúmque cum eo, intrà guttur & os, luctati ſunt: verecundiâ tandem, ejiciendi rurſus cibi præcalidi, vel negligentiâ ſaltem, in ſtrophio illū excipiendi, transverſùm acti; potiùs tandem deglutiunt, ingenti cum ardore deſcendentem in viſcera, eáque cum tormento adurentem: cùm offam ejuſmodi, in ſumma jam labia, intráque dentes, perductam, nullo negotio potuerint à ſe rejicere. Tales ſunt omnes, qui, *in utroque ſexu* (magìs autem, & *crebriùs*, *in imbecilliori*) peccata, quibus eorum conſcientia dies noctéſque cruciatur, per *Confeſſionem* expromere, poſt multam oris & mentis hæſitationem, fatuè prætermittunt: ſicut innumeræ (prôh dolor!) faciunt; quoties præſertim ad *Sextum Decalogi præceptum* eſt ventùm: quo loco, temporéque, vel omnino ſilent; vel muſſant tantùm, ac muginantur: aut *intus* denique duntaxat, ac *ſibiipſis, loquuntur*; ſic, ut Cōfeſſarius nihil percipiat. qui tamen (ſi ſapit, & cordatus eſt) quoties hoc animadvertet, interrogabit: & minùs bene percepta repetî ſibi jubebit.

XVI. Sed; *Cur*? (inquis porrò) *cur fateri Sacerdoti ſceleſtos Amores erubeſcebat Catharina, vel prætermittebat*? NE (inquit auctor) MERETRICULA, vel, PERDITIS MORIBUS, HABERETUR. Hem, *cauſſam Sacrilegarum Confeſſionum* genuinam! *Punctum*, (ut ajunt) *Honoris*! Quæ, juſtáne ſit, mox videbimus. Interim, vide, quæſo *Catharina*, quo pacto te tuique ſimillimas, ex ore veſtro, judicem? Vos enim dicitis (velut aliâs hîc non ſemel objeci vobis) *amores* ejuſmodi, eorúmque ſpurcitias juveniles, aliud non

non eſſe, quàm NUGAS & INEPTIAS PUERILES. & tamen, EAS, quæ talibus indulgent, MERETRICULARUM promereri ſuſpicionem, aut famam opinionémve, confitemini. Aut igitur NUGÆ non ſunt, *Amores* hujuſcemodi *obſcœni* (cùm, ut fatemini, *meretricio* vos aſpergant opprobrio); & habeo ego, quod toties contendi, *Peccata eſſe non levia*: Aut, ſi NUGÆ ſunt duntaxat, & PUERILES INEPTIÆ; cur actus ejuſmodi, cum reliquis *Nugis* veſtris, non confitemini? cur tam arduum vobis opus, eorum coram Sacerdotibus enarratio, videtur?

XVII. Sed mittamus hæc: & talium Sacrilegarum nunc excuſatiunculæ potiùs reſpondeamus, quâ ſuum in Confeſſione ſilentium palliare conātur, prætexendo, *Se boni nominis ſui, vel Opinionis de ſe, iacturam & damnum timere.* Et ſanè credidit hoc, ac verita de ſe quoque eſt, hæc puella Peruana; *Se æſtimatione ſui bonâ vel honorificâ dtiectum iri, apud conſcientiæ iudicem.* Credunt, at verentur, & interdum omnino perſuadent ſibi hoc ipſū, aliæ quoque puellæ, matronæ, viduæ, viri. Sed, planè falsò; nec ſine luculentâ plerumq; Sacerdotum bonorum ac prudentium injuriâ. Contrarium namque fit. Cùm enim cogitet, quiſquis is eſt, què tibi, peccata narranti tua, Sacerdotales aures præbet; *Omnes homines*, juxtà ſecum, *eſſe Peccatores*: nec tamen ſciat, *Vtrùm Omnes* in ſacro tribunali *bonâ fide agant*; audito delicto tuo, magnáque cordis tui contritione deprehensâ, præ cæteris te magni facit & æſtimat, *ob Synceritatem* oris & animi tui; in Domino te impenſiùs diligit, propter tuam erga ſe conceptam

Catharina Impœnitens.

ptam fiduciam, aperiendæ latentis plagæ tuæ: te, apud ſemetipſum in corde ſuo, ſed longè ampliùs Divinam bonitatem in cœlo, laudat; ut, quæ *de tenebris* tuis *Lucem fecerit* claræ candidæque Confeſſionis *ſplendeſcere*

XVII. *Sed* (inquis) eo *me deinceps* nomine, *tanquam meretriculam*, adulteram, mollem, inceſtuoſam, furacem, ſceleratam, *intuebitur*; quoties in oculos illius incidero, qui talia mea flagitia, pro Confeſſione, excepit. Recurret identidem illi turpitudinum mearum recordatio. Primùm, Si demus hoc, ſic futurum, quid tum? tantíne eſt bona tui exiſtimatio: ut ideò Sacramentum violandum ſit? tanti refert, ne laboret honor tuus, ut contemptu Dei ſit redimendus? Deinde, Falſum & iſtud eſt. O, *homo*! (exclamat Divus Auguſtinus) *quid times confiteri? Illud, quod per Confeſſionem ſcio, minùs ſcio, quàm illud, quod neſcio.* (*T.*) Sed, hæ tales objectiunculæ, ſive nimis honori ſuo caventium, cum gloriæ Dei detrimento; ſive, quocunque tandem alio titulo Pœnitentiæ Sacramentum ſilentio nefario violantium; ſive denique, de induſtria *Sacerdotalem Ordinem, tanquam arcanorum minùs continentem*, calumniantium, jam millies ſunt retuſæ. Neminem hæ, tam frivolæ, ratiunculæ, Peccati Mortalis confeſſionem nequiter tractantem & inſyncerè, à *culpa lethali* unquam immunem; nec à pœnis, ſilentio tali decretis, eximium, in ævum omne (per ſe loquendo, &, quantum eſt ex natura peccati hujus) præſtabunt: adeóque neque te, impia *Catharina*! cujus nos hucuſque *Peccatum mortiferum multiplex* audivimus: Turpitudinum, inquam, exercitarum: Confeſſionum Sacrilegarum:

Catharina Impœnitens.

rum: &, (quoties, poſt illas, ad tremendum ac ter venerandum Altaris Sacramentum accedere non dubitaveras) Indigniſſimarum Synaxeôn, ſeu Communionum. Quid enim horum omnium, negari poteſt, *peccatum* fuiſſe, *Mortiferum*? An, *amores impuros*? At clamat Sanctus Paulus, *Immunditiam, impudicitiam, luxuriam, regno Dei* excludere. (*V.*) An, gravem *Sacramentorum abuſum*? At idem S. Paulus tonat, ad Hebræos (ut ſuprà dixi) decimo (*X*); *Quantò putatis deteriora ſupplicia* (quàm, legis Moſaicæ violatores) *mereri* eum, *qui Filium Dei* (in altaris Sacramento præſentem) *conculcaverit*? *& Sanguinem teſtamenti* (qui, ut antè ſum conteſtatus, in Abſolutionis Sacramento ſuper animam Pœnitentem effunditur) *pollutum* (& profanum, ac, pro nihilo) *duxerit*? *& Spiritui gratiæ* (repetendum enim, & inculcandum, frequentiùs eſt) tam inſignem *Contumeliam fecerit*? Vides, ô ſacrilega! quàm graviter ac *lethaliter*, etiam in hac myſteriorum impiâ tractatione, Divinam majeſtatem offenderis? Quapropter *Pœnam* quoque jam, pro tantis Delictis, ac *Supplicia* ſeu (velut nos hucuſque loquimur) *peſtiferos Peccatorum* tam *lethalium Fructus* (dilectiſſimi) videamus, expendamúſque.

XIX. Nimirum, quod ſuperiùs indicavimus: Ii, qui *ſæpius* in hac vita, ſcientes volentes *ſacrilegè confitentur*; primùm quidem, ſicut omnibus aliis in vitiis fieri conſuevit, *ex toties frequentatis malis actibus, habitum ſibi comparant, ac pravitatis conſuetudinem*: à qua poſtea, cùm vel maximè neceſſarium eſſet, vel omnino non, vel vix & ægerrimè, rariſſiméque, recedunt. Deinde, tantopere plerumque Deum irritant: ut credibile

ſit, nec inconveniens *æquitati rigorique juſtitiæ divinæ*, vel talium Sacrilegorum commeritis; eos tandem (*ſæpe* ſaltem) *Gratiâ* illius *Efficaci* deſtitutos, in pœnam toties repetitæ fraudis & impietatis, permitti, ſub ipſum mortis tempus aut articulum, Duros, obſtinatos, & Impœnitentes, ex hac vita, *ſine Confeſſionis uſu ſyncero* decedere. *In Pœnam*, inquam, *toties* antehac *iteratæ* ſacrilegæ audaciæ, *Contemptûſque Dei*: quem *contemptũ*, *diuturna peccandi Conſuetudo* (teſte Hunnæo, docto Theologo) nonnunquam *implicat* (Y.): & in *ſacrilegis* divinorum myſteriorum abuſibus, præcipuè ac frequentiùs, contingere crediderim. ut adeò non deſint inter aſcetas, qui inter hujuſmodi *quaſi Contemptores* locent eos, qui, cum obfirmatione, pergendi in peccatis ſinéque *Confeſſione legitimâ*, crebrò peragere divina ſacrificia, non exhorreſcunt. Eadem igitur, *Efficacis Gratiæ* (tandem ſubtractæ) pœna *Catharinam* hanc *Peruanam* demum perculit: & ſubvertit.

XX. Annus jam ibat ſæculi ſuperioris nonageſimus: cùm in morbum *Catharina*, ipſis Auguſti Kalendis, implicita eſt. Hortatu (ne dubita) *dominæ* ſuæ, mulieris inprimis piæ, Sacerdotem eo ſtatim ipſo die (nam urgebat morbi gravitas) accerſendum curat, *ſupremæ Confeſſionis* cauſsâ: fortaſsíſque (quod probabilius ex ſequentibus apparebit) eo mentis propoſito, ut tandem aliquando, ſub vitæ ſaltem, finem, integrè peccata ſua exponeret. Venit ad eam vir, morum ac vitæ integerrimus. *Pater Iacobus Samaniégus*. Hujc confitetur Puella; non tamen, uti debuerat, ſed, ſicuti ſemper conſueverat, fallaciter & mutilatè. Ipſiuſmet namque culpâ, & ignaviâ, factum erat, ut nec

ut nec tum quidem ſilentium ſuum & noxium pudorem vinceret. Redit nihiloſecius ad eam aliquoties, Auguſto menſe, *Pater Samaniegus*: ſive ſuapte bonitate, lucrandæque peccatricis incenſus ſtudio; ſive ſubinde & à domina, ſalutis ancillaris cupidiſſimâ accerſitus. Fit *ſemper* exomologéſis; ſed *bene* nunquam. nec mirandum. Ipſa namque *Confitens*, peccata ſedulò ſtudioséque cœlabat; & ea potiſſimùm, quæ vel præcipuè detegenda fuerant. Sacerdos quoque (tametſi, cæteris in rebus, ac maximè divinis, illuminatiſſimus) ulcerum tamen animæ, quibus ægra *Catharina* laborabat, ignarus tunc temporis, Vitium Confeſſionis nondum pervidebat, aut penetrabat. Fortaſſis etiam, in puella tam juvencula, ne ſuſpicabatur quidem, tantas latére fœditates: ideóque talium nihil *ſingillatim* interrogabat. Nec enim Conſcientiæ Iudex, in tribunali ſacro, cogitur aut obligatur excutere Pœnitentem, circa *ſingula* quæque *Occulta*, mininéque omnium, circa abominationes, *ſexto* Decalogi, vel *nono*, præcepto repugnantes, nec in *Catharina*, ejúſque ſimilibus, nec in alia quacunque perſona. DIC tu ultrò, tuáque ſponte, quod in hoc genere conſcientiam gravat tuam: nec exſpecta, donec examineris. Si enim & Tu obfirmes animum, nihil, niſi priùs interogatum, in tuæmetipſius animæ diſcrimene, proloqui vel enuntiare; &, qui Confeſſionem tuam excipit, itidem vel nolit (ſine gravi urgentéque cauſsâ) vel etiam non debeat, ſpurcitias tuas explorare, rogitando & inquirendo (ne fortaſse *Curioſulus* in talibus tibi videatur) quid tum, quid, quæſo, fiet? Sic moriêre? Morieris utique (animâ tuâ, quo puncto

minimè reris aut ſuſpicaris, avolaturâ) peribíſq; in taciturnitate tua, & damnaberis. Ipſe verò Sacerdos *lavabit manus in ſanguine tuo*; & plerumque culpæ talis immunis erit. Tales igitur erant & hæ perſonæ duæ, *Samaniegus* Confeſſarius, & *Catharina* Confitens. *Pater* enim fortaſſe non quærebat, præ verecundia: & *Catharina*, graviorum ſcelerum, ultrò, ac per ſe, nihil indicabat; aut etiã, ſiquid taliũ interrogaretur, negabat impudenter. Quod equidẽ *Mendacium*, circa propriũ *mortale delictum*, etiam ipſum (in Confeſſione, talíque caſu) *mortiferum* eſt.

XXI. O, ſcelus! ô, toties oblatæ Gratiæ Dei, *Gratiæ-Spiritûs* Gratiæ Remiſſionis, inſignem & effrontem *Contumeliam* atque Contemptum! quo factum eſt tandem; ut *Peccatum* hoc fieret *ſupra modum peccans peccatum*. (*Z.*) Præter aliorum namque præcedentium temporum aut annorum ſacrilegas Confeſſiones quàm plurimas: poſt primam illam (de qua dixi) principiò morbi peractam, exomologeſin fictam; NOVEM inſuper vicibus aliis eſt confeſſa *Catharina*; ſemper tamen ſceleſtè, ſemper impietate fraudéque ſuâ conſuetâ. Quódque ſupra modum cumulabat facti malitiam; recedente, poſt auditas exomologeſes, optimo *Patre Samaniego*, converſa puella, circumſtantes ad conſervas; in ludibrium ac riſum, tam Sacerdotem ipſum, quàm Pœnitentiæ Sacramentum, trahebat, inſigni quodam utriuſque deſpectu: &; *Scilicet* (ajebat) *aliud nunc, quod agerem, non erat? quam, ut acta mea Sacrificulo huic Seni propalarem?* Quibus deinde verbis, tam contumelioſis, adjungebat verba quædam alia, in ancillarum aſſiſtentium aures invitas effuſa plena fœditatis; & occultarum libidinum

aum procacia ventilabra. Id, quod frequenter evenire ſolet, tam viris, quàm fœminis. Quibuſdam quidem, per dementiam, & alienationem rationis, violentiâ quadam infirmitatis creatam; ut in ægritudine gravi provomant, erubeſcenda teneræ fronti verba, vel dicteria. Qui quidem, cùm uſu rationis dejecti ſint: pro eo ſaltem tempore, ſicut culpâ, ſic reprehenſione, carere debent: déque iis, an hoc amentiæ genere plecti vel infamari meruerint in morbo, judicare vita moréſque præcedentes poſſunt; quibus, adhuc ſani, ſunt uſi. Aliis contrà nonnullis hoc idem evenire conſuevit, juſto Numinis permiſſu: propter præcedentium turpitudinum; tam in verbis, quàm in factis, aſſuetudinem: quam corrigere, dum adhuc vegetâ valetudine vigerent, nihil penſi habuerunt. Id genus igitur homines, ſicut in omni vita factis dictíſque obſcœniſſimis, quavis occaſione, quovis tempore vel loco, fœtentem animam evacuârunt: ſic poſtea, ſupremo confligtantes morbo, pro Sanctis ſermonibus, & mellifluo JESU Nomine, fœditates lutulentiſſimas eructant. Tu, ſi talem aliquam noveris *Catharinam*, immò potiùs *Alectô* ſive *Tiſiphonem*, coram quibuſvis, & parvulis & adultis, omnia quotidie cubiculorum arcana profundentem; dic ſine ſcrupulo tecum; Hæc aut *venefica* eſt, cupítque cæteros omnes, inſtinctu Sathanæ ſui, depravare ſermonum ſuorum philtris: aut *meretrix* ſaltem, vel præſignis *adultera*: vel Omnia hæc ſimul: aut certè denique utcunque malè cum ejus animæ ſtatu agitur. Bona pudicáque, per omnia, nequit eſſe: cùm JESU, Regis Angelorum, ſit oraculum, Lucæ ſexto (*AA*); *Ex Abundantia cordis*, OS

loquitur, *&*; *Bonus homo*, *de bono theſauro cordis* ſui, *profert bona*: *&*, *malus ſimiliter mala* (*BB.*) Attende proinde (dilectiſſime) num morte adeò per omnia laudabili, Chriſtianáque, ſit exceſſura de vivis Furia talis, ac Venus? Quid enim *poſt mortem* ſit futurum (niſi pœnitentia ſevera præceſſerit); judicare, meum non eſt, ſed Chriſti: cujus Sententia eſt Evangelica (etiam hac ex parte, non perfunctoriè expendenda); *Ex verbis tuis condemnaberis*. (*CC*).

XXII. Sacramentalem igitur (uti dixi) Confeſſionem ridebat *Catharina*, profanabátque: & ſpurciſſima verborum inſuper phlegmata, pro verbis Doloris atque *Contritionis*, effundebat: memorabili prorſus *Impœnitentiæ* paradigmate. Famulæ proinde cæteræ, conſervâ hac ſuâ pientiores, offenſæ turbatæque tantâ decumbentis impietate, ſermones eos omnes (ſicut lege charitatis Chriſtianæ ſe reperiebant obligatas) ad aures *Dominæ* detulerunt. Hæc, intimè commota, relictis aliis negotiis omnibus, ad *Catharinam* in cubiculum properat. Illic acriter primùm illius impietatem & turpiloquia increpat; veluti piam caſtamque *Matremfamilias* decebat, gravaturam alioquin, ancillarium diſſimulatione delictorum, ſuāmet conſcientiam. Incipit deinde, (remotis omnibus arbitris) vultu vocéque familiariore, ſciſcitari; Et quænam eſſent illa tandem, quæ retegere Patri *Samaniego* refugeret, *Occulta Delicta*? Reciperet animum; ac, de venia pro iis impetranda, nihil diffideret. Non enim poſſe, ne cogitatu quidem, fingi concipíve ſcelus aliquod, aut vitium, tam grave, támque enorme; quod aboleri *Confeſſione purâ liquidáque* non queat: ne quidem, ſi vel

ſi vel ipſo cum Dæmone nexus fœderis, aut concubitus Sathanicus, interceſſiſſent. *Catharina*, non modò, quia exorata, ſed planè propemodum ultro, ſine magna ullâ difficultate, *Domina* ſecretiſſima quæque flagitia ſua recenſere cœpit omnia. (quod, quis non ſtupeat, & ſuprà fidem putet? cùm ei tamen, qui ſolvere miſeram, & expedire, de laqueis peccatorum potuiſſet, ea prodere ſimili ratione ſynceritatéq; noluerit?) Dominæ, inquam, ſingillatim omnia faſſa eſt. Admiranti, &; *Cur eadem ergò Patri non aperuiſſet?* rogitanti, reſpondit (quod, obſecro, ſollerter, & utráque aure, Charitas veſtra imbibat) ſubjecit, ajo; Quotieſcunque *Patrem Iocobum*, hoc eſt, *Decem illis vicibus*, per morbi ſui tempus, accerſiſſet: toties, ad lævam ſuam conſtitiſſe, *Æthiopem*, neſcio quem, (obſervate, quæſo, *Sacrilegarum Confeſſionum* auctorem & *inſpiratorem*, Sathanam!) qui ſe cohortatus ſit; *Ne ſecretas illas cum iuvenibus turpitudines Sacerdoti aperiret ullo modo. Non opus eſſe: non ad Salutem neceſſarium, ea fateri presbytero; propterea, quòd* LEVISSIMA *eſſent*, *ac* PECCATILLA *magis, momenti nullius, quàm Peccata: ex quorum tamen confeſſu, manifeſtationéque, à Patre illo* DISSOLUTIORIS *vitæ notam foret incurſura.* A dextro contrà látere, præſentatam ſibi *Mariam Magdalenam, Pœnitentem:* quæ ſe viciſſim verbis graviſſimis admonuerit; ne *Æthiopi* potiùs illi, quàm *Deo*, ac verbo divino, daret aures; &, quidquid eſſet *Occultorum* ſcelerum, liberrimè Sacerdoti panderet & explicaret.

XXIII. Nónne bene (dilecti) nónne veriſſimè, tum paullò antè, hoc ipſo die; tum nuper, in

Caſtel-

Catharina Impœnitens.

Caſtelperſla, dixi vobis; EX ORE SATHANÆ LOQUI omnes eos, quotquot *impuros Amores* appellarent NUGAS, *puellis ac iuvenibus neutiquam prohibendas*? En, *Sathanam* nunc ipſum auditis, in *Æthiope* grunnientem; LEVISSIMA, NULLIUS MOMENTI, PECCATILLA, eſſe! propter quæ tamen *Peccatilla* (prôh dolor!) agminatim Mundus in Gehennam deturbatur. Quàm benè veréque de hoc nebulone Salvator noſter, Joannis Octavo capite (BD.) pronuntiat? *Non eſt Veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia Mendax eſt, & pater eius* (videlicet, Mendacii.) Idem facit Diabolus erga *Confeſſures*; & quidem, etiam aliis in Peccatis quibuſvis, extra peccata turpitudinum & Immunditiæ. *Cur. quæſo, Cur Confeſſarium* (inquit) *iam fatiges, aliis mille diſtrictum occupationibus atque tricis?* De Divinationibus his, de libris prohibitis; de Bono hoc alieno, quod ad te pervénit; de Reſtitutionis negotio; de hujus aut illius contractûs licito, vel illicito, tranſactu; de matrimonii valore, in hoc aut illo gradu; de Carnium eſu diebus Interdictis? & ſimilibus aliis quibuſcunque, *Leviſſima ſunt* (clamat) *nullius momenti ſunt, Peccatilla ſunt, nugæ nugarum ſunt!* O, Diabole! Vade retrò! Nec hominis eſt, nec Angeli, nec ullius alterius creaturæ; minimè verò gentium, Tuum eſt, aut Pœnitentis (à te directi) taxam, aut æſtimationem, aut pondus certum, imponere Peccato. ſed potiùs, *tale ac tantum eſt unumquodque Delictum, quale quantúmque ex natura ſua, & in oculis ac cenſurâ Dei, reperitur.* Videt interim nihiloſeciùs Charitas veſtra; quo pacto

pacto *Sancta Magdalena* (Pœnitentium pia promotrix) pro cauſſa Dei & Conſcientiæ ſteterit? Pari planè modo, credi piè poteſt; Semper homini, circa rem aliquam confitendam omittendámve fluctuanti, ac perplexo, promotorem aſſiſtere Confeſſionis purè peragendæ, vel Deum, vel Sanctum Angelum, aut è Cœlitibus alium; vel certè, *ſignatum* ſaltem *ſuper nos Lumen vultûs* divini: RATIONEM, inquam, humanam uniuſcujuſque, bono dictamine colluſtratam: quod ipſe ſequi ne cunctetur.

XXIV. Cùm autem iſthæc ex *Catharina* didiciſſet Domina, *Patrem Samaniegum* ad ſeſe evocatum in caſtellum, de omnibus ac ſingulis ſeorſim diligenter inſtruxit. Et quia ſperàrat, abſque ulla dubitatione, promptam nunc tandem ad omnia Puellam fore: rurſus ad *Catharinam* Patrem introduxit. *Qui* (ut verbis utar Bencianis) *modis omnibus tentavit, ut eam* (tantâ rei perſpectâ neceſſitate) *ad integram animæ expiationem induceret.* Fuítque hæc UNDECIMA jam Confeſſio, à die primo contracti morbi. Sed, incaſſum omnia! Immò, quantò acriùs intentiúſque *Samaniegus* adhortaretur, eò ſe Puella magis in obſtinatione ſua confirmabat. Ergo *Dulciſſimum* ſaltem JESU *Nomen* (inquit Pater) implora, quod ab his te malis extricet! Noluit *Catharina*. noluit (inquam) ne *dulce* quidem *Ieſu nomen*; exſecranda meretricula, pronuntiare. Quo loco, conſidera rurſus (dilecte) quod alibi jam te ſubmonui; *Conſidera* (quod *Eccleſiaſtes* adhortatur) *opera Dei: quod nemo poſſit corrigere* (quantumvis vir Sanctus) *quem* (ex hominis ipſiuſmet ſpontaneâ culpâ, & induratâ malitiâ)

Digitized by Google

tiâ) *ille deſpxerit*; & Efficacis Gratiæ potenti ſubſidio deſtituerit. Nec tamen hîc ſubſiſtit Puellæ perverſa mens, & obſtinatio. Mirandiora vide! Die namque quodam alio, ſacram ei *Crucifixi* effigiem offerebant, aſtante domina, cum omni gynæcêo. monebant miſeram, & exhortabantur; In eam ut oculos defigeret: útque animo cruciatus ejus, & clavos, & vulnera, mortémque pro nobis obitam, volutaret. At illa, ſummâ cum animi commoti ſignificatione, rancoréque, torvùm eas intuita; *Iam ſcio* (exclamat) *ſed, quid vultis, ut faciam?* *Vt ad Chriſtum* (ait hera) *te convertas, qui tua tibi ſcelera remittat: ſi modò purâ confeſſione recognoſcas ea, pandas, & damnes.* In quæ dominæ verba, Catharina; *Obſecro* (inquit, ad eam & ad famulas indignabundè converſa,) *deſinatis eſſe moleſtæ mihi!* Secundùm quæ proinde *Domina*, egregiè, ſed fruſtra, omni ſuæ ſollicitudinis operâ, promovendam ad Confeſſionem, exprompta conſumptáque; diſceſſit tandem, infecto negotio. Quâ tergum ei vertente, foréſque cubiculares reducente: *Catharina* (prôh, impietatis malitiam, *cùm* ſemel *in profundum venerit*, inexhauſtam!) in ipſo quamvis æſtu morbi, turpitudines cœpit ſuas, & Amores impuros, non jam eloqui tantùm, ſed planè, meretriciæ cujuſdam fidicinæ more, decantare. Ut adeò jam prorſus, ac per omnia, inexcuſabilis eſſet illius, circa peccatorum in Confeſſione ſacrâ retectionem, tergiverſatio. Si namque *Facile* fuit (ut eſſe ſanè debuit) occultas illas fœditates confiteri; quare confeſſa non eſt? Sin autem uſque adeò *Difficile*: cur ergo dominæ tam alacriter ea promptéque manifeſtavit? Cur item coram

coram gynæcéo, conſervíſque, lectum circumſtantibus, tam expeditè, tam apertè, tam ſcurriliter, tam inverecundè, tam palàm ea decantavit? In ſumma! *Gratia* perfectè. confitendi potenter *Efficax*, in eo tunc articulo, defuit infelici: in Fructum & pœnam tot *ſacrilegarum* præterlapſæ vitæ *Confeſſionum.*

XXV. Cùm autem, tam in hac obſtinatione, quàm in ſermonum & cantilenarum nequitiâ, dies complures, etiam deinceps, exegiſſet; morbúſque in Septembrem jam ſenſim excurreret: *Catharina* tandem, nocte quadam, ad ſeſe Dominam, & famularum ejus cœtum omnem, in cubiculum ſuum accerſivit: in quo tunc temporis & alia quædam conſerva (ex ejus fortàſſis aſſiduo miniſterio contractâ contage) decumbebat. Congregatis autem omnibus, exorſa cum ingenti gemitu; *Torqueor* (inquit) *& angor animo plurimùm* (advertite, ex quónam capite torqueatur? & memoriâ refricate, quod nuper in *Presbytero* dixi; Quid unumquemque noſtrum in illa tunc hora preſſurum præ cæteris ſit, & in lecto ſupremo jactaturum?) *Torqueor animo*, inquit, *plurimùm!* Et *Cur*? (ajunt.) OB TOTIES (inquit) *temeratam ſacrilego ſilentio Confeſſionem.* Continuóque in hæc verba conticuit: ſinéque ſenſu viſa cunctis, &, univerſo rigeſcente corpore, exanimatæ ſimillima, jacuit, ab noctis initio, ad ejuſdem uſque medium: ſic, ut exſpirâſſe crederetur, déque ſepultura idcirco domeſtici circumſpectarent. O, Domine! Quantæ miſerationes ſunt tuæ? quanta, quámque diuturna longanimitas, adversùs eam, quam per Legatum Tuum jam UNDECIES minimùm, uno morbo, convenire

nire dignatus es? & hoc, unius perfectæ Contritionis Confeſſioníſque proliciendæ cauſſâ! Quanta Tua, *Regis regum*, erga captivam, ſervam, pediſequam, barbaram, manſuetudo? quàm immenſa ſuavitas in illam, quæ tamen neque *Nomine* quidem te tuo compellare dignata eſt? Numquit non dicere poteras, etiam hujc, quod *Vineæ* quondam tuæ (*EE.*); *Quid eſt, quod debui ultrà facere* creaturæ hujc *meæ* perditæ, ut reſipiſceret: *& non feci ei*? Ecce, dilectiſſimi! adoremus, in facies noſtras proni; adoremus, admirandum ſuper omnia, Miſericordiam Divinam! & obſtupeſcamus.

XXVI. Cùm enim, in hunc, quem dixi, modum, horis aliquot, impia *Catharina* jacuiſſet, pro mortua ab omnibus domeſticis conclamata: Dei tandem clementiâ rurſus halitus ei, ſenſus, vires, anima, ſermóque, redierunt. ad ſe reverſa tota *Catharina* erat. Adhuc ergo pœnitendi, perfectéque confitendi, (præter Spem omnium & exſpectationem) tempus ac ſpatium reſtabat. Felix! ô, ter quatérque felix, ſi nunc ſaltem, *Catharina*, reſipiſcas! A ſollicita certè domina, mittitur etiam tum ad *Patrem Samaniegum*. Curritur: & conveniturіs, tenebris intempeſtis. Duodecima jam ſupputationis noſtratis Hora nocturna tranſierat: & illa tandem, *ex qua pendebat Æternitas*, exomologéſis inchoatur. Nec erat in *Deo ter Optimo*, quod quis deſideraret; quippe, ad ignoſcendum paratiſſimo: nec in Sacerdote defectus; utpote gaviſuro, ſiquam Deo animulam, *Abſolutionis* collato beneficio, lucrifaceret. Defectus omnis, in ſola *Confitente* erat. Noluit Ipſa (quanquam ſui, rationíſque, plenè compos)

Catharina Impœnitens.

pos) noluit, inquam: non veniam à Numine; non abſolutionis meritum à Sacerdote: non dominæ, bonorúmque omnium, de ſucceſſu futuram, gratulationem: quia tunc quoque (ſicut antehac ſemper) ſuas reticuit Impuritates. Quid multis? Ab ea, quæ digna jam pridem millies fuerat, à Deo deſeri, digreſſus eſt & *Pater*; ac domum ſe recepit, remediis ad correctionem illius Divinis pariter & humanis incaſſum impenſis: & idcirco diutiùs, cùm ludibrio Sacramentorum, non continuandis.

XXVII. Ægra nihiloſecius tamen, ultra tertiam adhuc antelucanam, traxit ſpiritum & agonem; productâ, per ſingularem, Dei clementiam, etiam tum Confeſionis perfectæ copiâ & occaſione; ſed, fruge nullâ. Circumſtabant ancillæ cunctæ luctantis torum: imminebat, animam expulſuræ, Domina: fugitivæq; jam vitæ, inclamabat. Hortabantur eam omnes, è lege charitatis, ut, ſacri ritûs in morte memor, alterâ manu *Crucem*, alterâ *cercam faculam* prehenderet: Chriſtianáque morientium pietate, JESU venerantiſſimum *Nomen* imploraret. Quibus illa; ET QUIS EST ILLE JESUS? inquit. EUM NON NOVI. (O, mille, de cœlo ſpargendis, in caput impiæ, fulminibus dignam vocem, ac *Dei Salvatoris* ejurationem!) In quæ verba blaſphema (nequis eam inſanire, vehementiâ dolorum, crederet) in ultimam reflexa lecti ſui partem, ac, levato ſuismet viribus corpore, ſeſſitans: cùm, neſcio cuj perſonæ inadſpectabili loqueretur, (incertum, quid?) impium, inter hæc, apoſtaticum, impœnitentem, inconfeſſum, obſtinacem, & damnatum Spiritum *Catharina* infelix ejecit.

N Quibus

Catharina Impœnitens,

Quibus verò appartioribus, deductoribus, & comitibus: ex eo patuit; quòd *Ancilla* eadem illa (quam in idem cum *Catharinæ* cubiculum, diebus ſuperioribus, ob morbum contractum, illocatam dixi) ab hera ſua, ſub ipſum illud tempus migrationis ejus è vita, rogaverit efflictim, & impetrârit; in aliud ut cubiculum quoddam, à priori longiùs disjunctum, transferretur: *propterea, quòd Spectra quædam atra, (quibus ſe quàm vehementiſſimè conſternari aſſeverabat)* per univerſum *Catharinæ* cubiculum circumvolarent.

XXVIII. Cùm autem ex recèns extinctæ cadavere, non lectus modò thalamúſque *Catharinæ*, tam fœtido putentíque odore (ſigno, libidinum ejus) ab ipſo mortis ejus momento, ſed omne quoque palatium, inficeretur: adeò, ut fœtorem illum nullius nares tolerarent: neceſſariò morticinum iſtud patentem ín aream ejectum, ac ſub dio conſtitutum eſt. luce verò Soléque terris reddito, profanâ in humo tumulatum. *Corpus* quidem, in terra: *Spiritus* autem, ubi ſepultus fuerit, in craſtinum (dilectiſſimi) juvante *Deo*, ſtupentes, &, arrectis auribus pariter ac mentibus, audietis. Quæ namque Tragœdiæ tam formidandæ, narranda reſtant: omnem præcedentium cothurnum excedunt. Alacriter igitur ad reſiduam quoque eorum, quæ à morte maledictæ hujus evenerunt, narrationem convenite.

XXIX. Hodie verò domum vobiſcum iſtud ſaltem reportatore: ut unâ mente vobiſcum dicatis omnes; En, *Peſtiferos peccatorum lethalium Fructus*! En, temeratarum, cum ſacrilegio, *Confeſſionum* mercedem atque præmium! en, *obſtinata Impœnitentiæ* deteſtabilem exitum! ut poſtea,

Digitized by Google

ſtea, cùm vel maximè neceſſarium erit, nec exomologeſis ritè, neque *Contritio*, ſub inſtantem animæ diſceſſum, peragantur: Divinâ juſtitiâ *Gratiam*, toties antehac fruſtra oblatam, tandem quoad *Efficaciam*, ſubtrahente. En, *Confeſſionum* in vita *Sacrilegarum*, calamitoſam in morte, ſed ſeram, deplorationem! quoniam etiam tum *impœnitentem*. Ego igitur, & filii, & uxor, & quiſquis aut hîc audivit, aut ex nobis domi mox audiet, luctuoſam hanc Tragœdiam: ſi in præſentem uſque diem (ut fieri poteſt) perperam confeſſi ſumus; in poſterum ſaltem non *obdurabimus corda noſtra*: ſed, (ut divinus Paulus ait) *donec* *HODIE cognominatur* (*FF.*) *ſcrutabimur vias noſtras*: diſcutiemus cum cura vitam retrò noſtram univerſam: prætermiſſa, ſuppreſſa, ſemiexplicata, ac mutila, deflebimus, & confitebimur Omnia ſinguláque: nec tam fatui erimus, ut lethiferum delictum unum, ſine altero, exponamus in ſacro tribunali, ſcientes, ac prudentes, & voluntariè: cùm doceamur, *Peccatorum Mortalium remiſſionem non poſſe dividi*; ſed, *Vel Nullum*, *Vel Omnia*; *dimitti* ideóque, in defectu voluntario ſynceræ perfectæque *Confeſſionis* omnium mortalium delictorum, repetendam omnino neceſſarióque (per ſe loquendo) exomologéſin; etiam eorum lethalium peccatorum, quæ & tunc in ſacrilega illa Confeſſione, & in aliis poſtea, malâ fide obitis, Sacerdoti fuerant expoſita. Quod Onus, nónne grave? nónne, pro uno ſimplici, quo defungi poteramus (ſemel ac ſimul perfectè confitendo) duplex, imò decuplex, nobis pondus effectũ eſt? Quòd ſi non ſciamus, aut in memoria jam ampliùs non habeamus, Omnia quondam præ-

Quibus verò appartioribus, deductoribus, & comitibus: ex eo patuit; quòd *Ancilla* eadem illa (quam in idem cum *Catharinæ* cubiculum, diebus ſuperioribus, ob morbum contractum, illocatam dixi) ab hera ſua, ſub ipſum illud tempus migrationis ejus è vita, rogaverit efflictim, & impetrârit; in aliud ut cubiculum quoddam, à priori longiùs disjunctum, transferretur: *propterea, quòd Spectra quædam atra, (quibus ſe quàm vehementiſſimè conſternari aſſeverabat)* per univerſum *Catharinæ* cubiculum circumvolarent.

XXVIII. Cùm autem ex recèns extinctæ cadavere, non lectus modò thalamúſque *Catharinæ*, tam fœtido putentíque odore (ſigno, libidinum ejus) ab ipſo mortis ejus momento, ſed omne quoque palatium, inficeretur: adeò, ut fœtorem illum nullius nares tolerarent: neceſſariò morticinum iſtud patentem in aream ejectum, ac ſub dio conſtitutum eſt. luce verò Soléque terris reddito, profanâ in humo tumulatum. *Corpus* quidem, in terra: *Spiritus* autem, ubi ſepultus fuerit, in craſtinum (dilectiſſimi) juvante *Deo*, ſtupentes, &, arrectis auribus pariter ac mentibus, audietis. Quæ namque Tragœdiæ tam formidandæ, narranda reſtant: omnem præcedentium cothurnum excedunt. Alacriter igitur ad reſiduam quoque eorum, quæ à morte maledictæ hujus evenerunt, narrationem convenite.

XXIX. Hodie verò domum vobiſcum iſtud ſaltem reportatote: ut unâ mente vobiſcum dicatis omnes; En, *Peſtiferos peccatorum lethalium Fructus*! En, temeratarum, cum ſacrilegio, *Confeſſionum* mercedem atque præmium! en, *obſtinatæ Impœnitentiæ* deteſtabilem exitum! ut poſtea,

Digitized by Google

ſtea, cùm vel maximè neceſſarium erit, nec exomologeſis ritè, neque *Contritio*, ſub inſtantem animæ diſceſſum, peragantur: Divinâ juſtitiâ *Gratiam*, toties antehac fruſtra oblatam, tandem quoad *Efficaciam*, ſubtrahente. En, *Confeſſionum* in vita *Sacrilegarum*, calamitoſam in morte, ſed ſeram, deplorationem! quoniam etiam tum *impœnitentem*. Ego igitur, & filii, & uxor, & quiſquis aut hîc audivit, aut ex nobis domi mox audiet, luctuoſam hanc Tragœdiam: ſi in præſentem uſque diem (ut fieri poteſt) perperam confeſſi ſumus; in poſterum ſaltem non *obdurabimus corda noſtra*: ſed, (ut divinus Paulus ait) *donec* HODIE *cognominatur* (*FF.*) *ſcrutabimur vias noſtras*: diſcutiemus cum cura vitam retrò noſtram univerſam: prætermiſſa, ſuppreſſa, ſemiexplicata, ac mutila, deflebimus, & confitebimur Omnia ſinguláque: nec tam fatui erimus, ut lethiferum delictum unum, ſine altero, exponamus in ſacro tribunali, ſcientes, ac prudentes, & voluntariè: cùm doceamur, *Peccatorum Mortalium remiſſionem non poſſe dividi*; ſed, *Vel Nullum*, *Vel Omnia*; *dimitti* ideóque, in defectu voluntario ſynceræ perfectæque *Confeſſionis* omnium mortalium delictorum, repetendam omnino neceſſarióque (per ſe loquendo) exomologéſin; etiam eorum lethalium peccatorum, quæ & tunc in ſacrilega illa Confeſſione, & in aliis poſtea, malâ fide obitis, Sacerdoti fuerant expoſita. Quod Onus, nónne grave? nónne, pro uno ſimplici, quo defungi poteramus (ſemel ac ſimul perfectè confitendo) duplex, imò decuplex, nobis pondus effectû eſt? Quòd ſi non ſciamus, aut in memoria jam ampliùs non habeamus, Omnia quondam prætermiſſa

termiſſa ſcelera: clamabimus horis ſingulis, cum Davide; *Illuminu, Domine, oculos meos: ne unquam obdormiam in morte.* (GG.) Sed cavebimus, ne *cum Deo* (ſic loquendo & orando) *ludere* videamur. Multi namque jam olim, & ab initio, ſatis ſupérque ſunt *illuminati*: clariſſimé-que, & pluſquam perſpicuè, vident quotidie, ſingulíſque temporum punctis, illa Peccata, de quibus nunc ſermo eſt, ante oculos mentis & memoriæ ſuæ: dicúntque ſibiipſis in conſcientia ſua, ab ea redarguti; *Hac, & hac, iſta & illa atque illa ſunt* Occulta *mea probra, qua necdum apud Sacerdotem ullum expoſui.* Hi tales igitur, rogando Deum, *Vt illuminentur*, in eo, quod optimè jam ante, ac per ſe, *vident*; nónne *Deo illudunt?* &, ut, quod res eſt, dicam: nónne Chriſtum JESUM, & Sacramentum Sanguinis ejus, non curant, ſed aſpernantur? O, vocem impiam ſuper omne, quod impium eſt, ac dicitur! vocem, inquam, qua clamavit ſceleſta *Catharina* hæc; Et QUIS EST IESUS? EUM NON NOVI! Quis non pater, in filio? quæ non mater, in filia? quis non patronus & nutritor, in cliente & alumno, ſic loqui auſo, dolore furiíſque cordis, diſrũperetur? Itáne? tu *Non nôſti* eum, qui te genuit? eã, quæ te peperit? eum, qui te texit, nutrivit, educavit? Hæccíne meruit de nobis *Bonus Dominus*? Non nôſti ergo, pro te *hodie* Incarnatum, pro te natum, circumciſcum, pauperem, exulem, in laboribus à juventute poſitum, in ærumnis, in vigiliis, in opprobriis, in perſecutionibus? pro te ſanguineo ſudore diffluentem, catenis gravatum, funibus conſtrictum, flagellis conſciſſum, ſpinis coronatum, alapis & arundine percuſſum, in Crucem compa-

Catharina Impœnitens.

compactum, clavis transfixum; inter dolores acerrimos Patri Spiritum tradentem? JESUM Chriſtum, *Nobis datum, Nobis natum*? Salutem, & gloriam, & lætitiam noſtram? Hunc tu JESUM (inquam) *non nôſti? Hoc verè dixiſti.* Certè JESUM hunc *non nôſti.* Si namque *nôſſes* eum, & *verè nôſſes*: aliter longè eum tractares. Nunc, *verbis nôſti*: *Factis* autem *negas*, qui ſic ſacrilegè *Sanguinem* illius, in *indigna Confeſſione* ac *Synaxi* tractas; perinde, ac ſi neque *nôſſes* eum, neque curares. Agè, agè! Tempus erit, & Hora veniet olim illa, in qua viciſſim ille tibi dicat, & omnibus, malè Confitentibus; NUNQUAM NOVI VOS! DISCEDITE A ME OMNES, *qui operamini iniquitatem.* (*HH.*) Et, quid poſthæc? IBI ERIT FLETUS, ET STRIDOR DENTIUM: (*II.*) velut in craſtinum audiemus.

TESTIMONIA.

[A.] *Pſal.* 18. *v.* 11. [B.] 1. *Ioann. v.* 7. [C.] *ad finem Dubii.* [D.] *Tannerus tomo.* 4. *diſput.* 6. *quæſt.* 6. *num.* 8. *&* 10. [E.] *S. Thom.* 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 1. *in c.* [F.] *Vide Tannerum, tom.* 4. *diſp.* 6. *quæſt.* 6. *num.* 16. *&* 17. *ex Conciliis, Florentino ac Tridentino, ibi citatis.* [G.] *Vide Tanner. cit. loc. de Contritionis præcepto, eiúſque temporibus.* [H.] *Vide de his Paulum Laymannum lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 15. *num.* 1. [I.] *Vide eundem loc. cit. num.* 14. [K.] *Baruch. c.* 2. *v.* 18. [L.] *apud Thom. Hybernicum, V. Confeſſio. ubi citatur epiſtola* 14. [M.] *apud eundem.* [N.] *Matthæi* 13. *v.* 12. [O.] *Hunnæus, in Divum Thom. In-*

dic. 3. [P.] *Verſu* 1. [Q.] *Proverbior.* 1. *v.* 26. [R.] *Editionis Antuerp. in* 8. *apud Nutium à pag.* 939. [S.] *Thomas Cantipratanus lib.* 2. *de Apibus. cap.* 30. *num.* 54. [T.] *In pſalmos. apud Thō. Hybernicum.* [V.] 1. *ad Corinth.* 6. *ad Galat.* 5. *v.* 19. [X.] *verſ.* 29. [Y.] *Suprà citat. num.* 10. [Z.] *Ad Roman.* 7. *v.* 13. [AA.] *verſ.* 45. [BB.] *Matth* 12. *verſ* 35. [CC.] *Matth.* 12. *v.* 37. [DD.] *verſ.* 44. [EE.] *Iſaia* 5. *verſ.* 4. [FF.] *ad Hebraos* 3. *v.* 13. [GG.] *Pſal.* 12. *v.* 4. [HH.] *Matth.* 7. *v.* 23. [II.] *Matth.* 13. *v.* 50.

Peſtiferorum Peccati Mortalis Fructuum.

EXEMPLVM TRAGICVM VII.

CATHARINA PERVANA, DAMNATA.

Peccata Mortifera Fructum progignere, Gehennam, ac Damnationem Sempiternam.

Dictum 26. Martii, ſeu, Dominicâ Paſſionis: Veſperi.

I. EORUM hominum, qui *Timore* potiùs, quàm Amore, & Timore, quidem Servili magis, quàm Filiali, ducuntur; guſtui, *Amariſſimus* omnium *Peccati Mortalis Fructuum* eſt, vel eſſe certè

certè viderí que ſolet, ÆTERNÆ DAMNATIONIS Pœna-Sensûs, ſeu GEHENNA. Unde eſt, quòd clamet S Iſaias; (*A.*) *Conterriti ſunt in Sion* (cœtu Fidelium) *Peccatores.* nec ſine cauſſa. *Quis* enim (inquit porrò) *quis habitabit cum IGNE devorante? aut, quis poterit habitare cum ARDORIBVS SEMPITERNIS?* Ideóque & Epulo ille Evangelicus *rogavit Abrahamum, ut mitteret Lazarum, in domum Patris ſui* è Limbo, *ad teſtificandum Quinque Fratribus* ſuis, de Magnitudine ſuppliciorum *Gehennæ*: quò perterrefacti, & à diſſoluta vita retracti, *non & ipſi venirent in locum illum tormentorum.* (*B.*) Veruntamen, non obtinuit iſtud Epulo dives; nec miſſus eſt Lazarus à mortuis ad Vivos: non, quòd miſſiones tales, aut fieri non poſſent, aut non verè quandoque realitérque fierent; ſed quòd, illis antiquæ Legis temporibus, aliter plerumque Divino conſilio voluntatíque viſum eſſet. Ex qua tamen *Apparitionum* ejuſmodi *omiſſione* vel *raritate*, dubium non eſt, quin apud quàm plurimos tunc improbos *Gehennæ* fides impiè laboraverit. Quocirca, jam olim quoque, ante annos bis mille ſeptingentos, & quod ultrà eſt, ſcelerati quidam mortales ſe conſolabantur, vel incredibilitate, vel incredulitate GEHENNÆ, tanquam FABULÆ cujuſdam & Figmenti poëtici: cùm, ad Peccata, ſine timore perpetranda, ſeſe mutuò exſtimulantes, dicerent; *Non eſt, qui agnitus ſit, reverſus ab Inferis.* & Nos igitur *poſt hæc erimus, quaſi non fuerimus:* (*C.*) in ventum ac nihilum dilapſuro *Spiritu* noſtro, tormentorúmque omnium incapaci futuro.

II. Talia quædam, & horum ſimilia, priſci-

Digitized by Google

ſomniabant illi, delirabántque, de GEHENNÆ *Vanitate*, Animarúmque noſtrarum omnimoda deſtructione. Verùm, apud nos Chriſtianos, qui diviniſſimâ Fide tenemus, ac certi ſumus. GEHENNAM eſſe, necnon Animarum peccatricum poſt hanc vitam Cruciatus immenſos; in Duobus tamen adhuc ſæpe caligatur. In UNO quidem; Quænam Animæ Peccatrices poſt mortem *Reipſa* jam ſint eò detruſæ? quæ non? cùm vulgò jactetur; *Vltimo* vitæ fugientis *Gemitu*, poſſe quemcunque quantumvis enormem Peccatorẽ in Gratiam reponi. cùm item *Iudicia Dei ſint Incomprehenſibilia, & Abyſſus multa* (*D.*): ſenſúque etiam iſto verum ſit, quod Eccleſiaſtæ nono capite (*E.*) pronuntiatur; *Neſcit Homo, utrum amore, an odio, dignus ſit; ſed OMNIA in futurum SERVANTVR INCERTA* (quoad notitiam noſtram *humanam*, citrà Revelationem: non autem, quoad *Divinam* Omniſcientiam, & Intuitum). Hoc ergò *Primùm* eſt Perplexitatis noſtræ caliginîſque punctum, circa quod hæremus. In ALTERO verò, ambigimus; *Quanam* illa ſint, & qualia, tam atrocia Inferorum *Tormenta*?

III. Sed, quanquam hæc ità ſe habeant: providus tamen Deus, ad terrorem & exemplum Viventium, diverſis temporibus remiſit in hoc Sæculum, ad breve tempus: nonnullas DAMNATORUM animas, ſive in ſuámet ſubſtantia, ſive in alieno Spiritu (*F.*): quæ, aſſumpto vel proprio, vel alieno, vel phantaſtico, & aërio corpore, & ſe in *Gehenna* eſſe conteſtarentur; & pœnarum ſuarum interdum *partem* (nàm *Totas*, nec Angelica ulla lingua exponeret) repræſentarent verbis,

Digitized by Google

bis, factis; ſignis, ac rebus. Inter quas *Apparitiones*, omni Veritate morali conteſtatiſſimas, Deus noviſſimis etiam temporibus his, &, ſexaginta ante annos (uno plus) voluit eſſe CAHARINÆ, illius PERUANÆ Puellæ, reditum à morte ad viventes: *inſignis*, *ac portentis*, & ſpectris omnium generum: noviſſiméque, ipſiúsmet quoque defunctæ aſpectu & alloquio. Quæ nunc ſingillatim, ac per ordinem, ſicuti geſta ſunt, explicabo: rogans Charitatem veſtram; ut memoriæ quodam breviſſimo compendio recolere ne gravemini, Peccata *Puellæ* illius occulta, necnon Peccatorum ejuſmodi *Sacrilegam* Occultationem. Ex quibus ſubſecuta eſt *Pœna* (velut audiſtis) *Prima*, ut *Gratiam* tandem *Efficacem*, juſtiſſimo Dei furore, non haberet, in morte ſaltem, ejúſque ſupremo articulo, perfectam Confeſſionem peragendi. Sequitur nunc *Secunda*, eáque vulgaribus hominum ſenſibus *gravior*, ob eadem illa Peccata, POENA: *Damnationis*, inquam, *Sempiternæ*: velut heſterno veſpere promiſi. *Signa* porrò *peſſimi*, circa *Animam* CATHARINÆ *defunctæ*, *Status*, fuerunt continuè compluria.

IV. Nocte namque eâ, quâ extincta eſt in Impœnitudine ſua, Obſtinatione confitendi turpitudines ſuas Occultas: *Conſervarum* illius quædam, ſecundùm humeros, plagam percutientis ſe, tanquam *Calcis* aut *Vngulæ*, gravem excepit: nemine úſquam percuſſionis iſtius auctore conſpecto. permanſerúntque læſionis illius ſigna, in dies etiam inſequentes aliquammultos. Deinde eâdem ipsâ Nocte, qua *Catharina* deceſſit, *Dominæ frater*, injecto in ſe brachio quopiam inadſpectabili, thalami ſui liminibus eſt extractus,

invitus quantumlibet, ac vi ſummâ renitens. Eâdem præterea nocte, quidam *Equus*, herili ſtabulo, manſuetiſſimus licèt antehac, & perquam pacatus, efferari, & in furias agi, nullis (quæ quidem apparerent) cauſſis, repentè cœpit: in ſaxa quoque ſtabulíque parietes, violenter calces impingere; abruptíſque per vim habenis, per equile paſſim omne ſurſum deorsúmque curſitare: denique, per noctem reliquam univerſam atrociter inſanire. Eâdem inſuper nocte, caſtellani quoque *Canes*, ad unum omnes, væcordi diſcurſu, latratibus, & furore Cerbereo, palatium univerſum, ac viciniam arcis, exſternârunt.

V. Exactâ verò tandem tetrâ illâ *Nocte*, defoſſóque jam impurato *puellæ* Cadavere: cùm una quædam *Ancillarum* in palatio, negotii domeſtici cauſsâ, cubiculum introiſſet, in quo per tam longinquum tempus infirma *Catharina* decubuerat, in quo & toties peccaverat, & in peccatis ſuis pertinaciter exſpiraverat (quod ſanè *Cubile*, vel ob hoc ipſum aut deſtrui convenerat, aut in perpetuum occludi) animadvertit; *Vas* quodam (*nocturnum* fuiſſe ſuſpicor, & *Catharinæ* quondam uſibus familiare, *Scaphium*) ex tabulato, cuj ſuperimpoſitum fuerat, in ſe, magno validóque expulſu, projectari. Præterea (quod meritò plurimùm admiremur) tam intrà Palatii illius atrium, quàm circùm ac ſuprà illud, foríſque, urbe *Itatâ* univerſâ, *Láteres* ac *Tegulæ* innumeræ, conglomeratim diſperséque, huc illuc divolitare per aërem ac ſublime, fragore crepitúque horrendo, conſpectæ ſunt & auditæ: non ab uno aliquo paucísve, ſed ab oppidanorum pleráque multitudine; quæ ad *paſſuum duo millia*, nullo rapien-

Digitized by Google

rapiente turbine procellâve, disjectabantur. Cùm tamen (quod ſtudiosè obſerves) eo loci, unde lateres hi tegulæque divolârunt, neque later uſpiam ullus, neque tegula, reperirentur: quippe, *palmarum* arboreis ſcandulis omni tam urbe, quàm arce caſtellóque, contectis.

VI. Nec tamen in *Elementis* duntaxat, aut inſenſibilibus aliis irrationalibúsve, portenta tunc ſteterunt: ſed eódem ipſo tempore, & *Ancillarum alia quadam*, (haud ſecus, ac paullò antè Dominæ frater, apprehenſo ipſius brachio per manum inviſibilem, è cubili ſuo protractus fuerat) ſic iſta correpto protracta pede eſt, ad ſpatium longiſſimum; ídque, ſpectantibus claro de die quàm plurimis: eâ tamen, quæ illam traheret, nondum ullibi conſpectâ. Atque hæ fuerunt formidines, terriculamenta, turbamenta, vexationes, tractiones, percuſſiones, inſeſſiones ac furiationes equorum & canum, projecturæque vaſorum, tegularum, & laterum, importunæ; *Spiritúmque*, adjuvari piorum precibus cupientem, vix decentes: ſed *Infelicis* potiùs & *Infeſtatoris* Signa, ad exemplum Tartareorum Spirituum, humani generis hoſtium: de quibus ſcriptum legimus (ſicut aliâs audiſtis) eſſe *Spiritus* quoſdam, *qui ad Vindictam creati ſunt, & in furore ſuo confirmaverunt tormenta: & furorem eius, qui fecit illos, placabunt. Ignis, grando* (pergit porrò), *beſtiarum dentes, & rhomphaa, vindicans in exterminium impios; omnia hac ad VINDICTAM creata ſunt.* (G.) Et, ſicut alio loco denuntiat Spiritus Sanctus; *Armaturum* eſſe Deum *Creaturam, ad ultionem Inimicorum* (H.): ſic & hîc contigiſſe, conjicimus. Ac profectò; quis noſtrum

ſtrum ſcit pro comperto; Cúrnam ædes ſubinde quædam, tot Spectris inquietentur? &, quídnam illic, *abominationum inexpiatarum* deliteſcat? Quis divinet nobis, quidnam tandem, impura hæc *Catharina* deliquerit, cum, aut coram, ancillis vexatis, percusíſque? cum, aut coram, fratre dominæ? quid circa canes, equos, ſtabula, tegulas, laterés, nocturna vaſa? ut in iis proinde tantopere poſtmodo fureret; atque, ubi *vivens* quondam peccaverat, illic baccharetur & *mortua*? Dei ſolius eſt, horum omnium exactiſſimè ſcire cauſſas. Sed interim tamen, hæc omnia *Catharina* ſic hucuſque geſſit egítque, nondum ut tamen ſeſe, tanquam horum auctorem, claré aperiret: poterátque negari à pertinaciore quopiam; ad *Catharinam* iſta pertinere. Donec paullatim denique non ſuſtinuit porrò diſſimulare; Seipſam, nec Aliam, eſſe fuiſſéque talium turbarum cauſſam, ac machinatricem indubitatam.

VII. Nam, ecce tibi! *Octobris* die *ſeptimo*, anni ejuſdem 1590. hoc eſt, ipſo feſto *Divæ Mariæ de Victoria*, ſeu, profeſto *Sanctæ Birgittæ* Viduæ (qui dies tunc erat *Mercurii*) *ancilla* quædam alia, non Cubiculum illud exſecrandæ memoriæ locíque, in quo *puella* obierat, ſed *Veſtiariam* ingreſſa *cellam*, veſtis indè petendæ aſportandæque cauſsâ, quâ ipſa, læto illo feſtivóque die indueretur: videt oculis vividis, vigilacibúſque, vivaciter ſtantem *Catharinam* defunctam; &, extremis nixam pedum ſuorum digitis articulíſque, in ſublime ſeſe erigentem, *Vaſi* cuidam (arbitror, & iſtud *nocturnum* fuiſſe) quod altiore loco ſitum erat, arripiendo, manum extendere. Et revera arripuit; arreptúmque, retrò manu reducta, libravit,

Digitized by Google

bravit, in conſervam illam conjectura. Sed nimirum famula jactum, in caput ſuum deſtinatum, fugâ celeri prævertit: *Vas* autem, ſui jactûs ſcopo deluſum, in parietem ſaxeum, è regione, impactum impetu tanto eſt; ut, alliſu diſſiliens, in partes mille diffringeretur. En, Lemurum Infernorum rabiem! en, iterum *Catharinæ* hujus infelicis, cum *vaſis cubicularibus*, neſcio quam ob cauſſam, non ſine cauſſa negotium!

VIII. Cùm autem, hæc ità geſta, *Ancilla*, quam dixi, dilapſa fugâ (poſtquam ea ſine veſte, ſed non ſine formidine, redîſſet in Palatii cœnaculum) trepida nuntiâſſet, & ordinè recenſuiſſet: factum eſt, Dominæ ſine dubio pietate; ut luce poſterâ (quæ fuit octava Octobris, ac Divæ Birgittæ Sacra, diéſque Jovis) Sacerrima Chriſti *Crucifixi imago*, in chartæ folio efformata, *Viſtiarii* foribus affigeretur. Quæ tamen illicò, *impetu* (ſicut loquitur hiſtoriæ ſcriptor hujus) *uno avulſa, omnium in conſpectu, tres eſt in partes* occultâ manu *diſtracta*. Videres, ac manu palpares, impiæ *Catharinæ* in Chriſtum JESUM (quem moriens exſecrata erat; quem, *nôſſe ſe*, negaverat; cujus pronuntiare vel *nomen* ſaltem dedignata fuerat) Tartareum prorſus *odium*, & (certo quodam modo) Diabolorum in *Crucem* hoſtilitate rabioſius: cùm utique *Diabolis*, nec temerè, nec inefficaciter, inſultet Eccleſia, dum, *Crucifixi* Iconas inimicis opponendo, tum dicat, tum ſcribat: *Ecce, Crucem Domini! fugite, partes adverſæ!* Cùm tamen interim, ad ejuſdem ſigni ſalutiferi clypeum objectum, *hæc impia* non modô terga tunc non verterit, ſed ultrò ſacrilegam ei violentámque manum injecerit. Sed, videlicet

Homi-

Homines nonnulli, ſicut *Diabolorum* multos vincunt *malitiâ*, ſic & ſuperant in Creatorem Redemptorémque ſuum *malevolentiâ:* veriſſimi *Inimici Crucis Chriſti: quorum finis, Interitus; quorum Deus*, obſcœnus *venter eſt: & gloria, in Confuſione ipſorum.* (*I.*)

IX. Tædebat autem paullatim *Heram*, palatii ſui tot ac tam diris monſtris exagitati; triſtitiáque funeſta quædam, domeſticorum omnium ſenſus, edacitate pavoris inteſtinâ, macerabat. Hujc proinde mœſtitiæ diſcutiendæ nonnihil ac diſpellendæ, *Hera* in ejuſdem diei (qui, ut dixi, Octobris *Octavus* erat) veſperam, aliquantò maturiùs ſolitô *Cœnam* indixit, opulentiorum more, in hortum ſeu Viridarium palatii. Cœpta Cœna jam erat: cùm repentè, cogitante tale quid nemine, *Later Dimidiatus*, ab inadſpectabili conjectus manu, mediam in lancem injectus, impetu tam valido ſubſedit; ut Menſam, cœnámque ſimul omnem, everteret. Miro mirius! quídnam fædæ hujc meretriculæ, *Lateritiis* cum lapidibus, negotii fuerit? Ne verò jactûs iſtius lateret Auctor; *ex ore infantium*, propemodùmque *lactentium perfecit* Deus illius evulgationem: & *oculos aperuit pueri, ut videret*; quod Convivarum adultorum nemo vidiſſet. Exclamavit enim *Dominæ* filiolus *quadrimus*, (& qui matri tum aſſidebat) cum ejulatu fletúque; *Matercula, Matercula! ſuccurre! tuere me! Catharina, en, me præfócat!* Sic vociferanti, continuò mater thecam, *ſacris* Divorum *reliquiis* impletam, in collum ac cerviculam injecit: eóque facto, ſceleſtiſſimam ſtrangulatricem illam, in fugam (pro eo quidem tempore diéque) vertit. Ex quo vel obiter appareat,

pareat, quàm non tantùm acatholicè, irreverentérque, verùm etiam ſibi ſuíſque perniciosè, agant Patres matréſquefamilias complures; qui conſecrata Eccleſiæ periammata, Agni-Dei cereas imagines, & lipſanothecas, omni veneratione proſequendas, totâ ſubinde Vitâ non geſtant (cùm magica tamen appéndere ſibi, non dubitent) vel amiſſa caſu quodam non continuò reſtaurare ſatagunt: vel ſuos denique domeſticos iis carere, tanquam re ſupervacaneâ frivoláque, facilè ſinéque curâ patiuntur. Et nos adhuc miramur, Si Pacem à *Spectris*, *à diaboli*, *à veneficis*, in domibus, lectis, cubilibus, ſtabubis, cellis, & penetralibus, nullam habemus? cùm præſertim & *vitia* regnent illa, noſtris in domibus, ob quæ viri Docti (*K.*) affirmant, aditum pateſieri Dæmonibus: cujuſmodi ſunt, *Exſecrationes, blaſphemiaque iuges; in Fide fluctuatio; myſteriorum ſacrorum, & Eccleſiæ rituum, irriſio vel traductio; domûs peſſima diſciplina, Vitáque; frequens ebrietas; libido fœda, contráque legem; in pauperes immiſericordia; fraudes & uſura; bonorum iniuſtè partorum, (ac nonnunquam Eccleſiaſticorum quoque) detentio nefaria*: quæque his ſimilia diſſimiliáque flagitia ſunt. Sed hæc, occaſione *Reliquiarii* illius *ſacri*, puerili collo appenſi, hactenus monita perſtrictáve ſint. nunc noſipſos curſui narrationis inſtitutæ reddamus.

X. Cùm jam non uno ſigno ſatis ſe ſupérque teter ille *Spiritus* manifeſtum reddidiſſet, oculatis quibuſdam teſtibus; Se *Catharinæ* ſceleratos eſſe Manes; ac turbamentorum caſtelli finis nullus appareret: metu graviorum, *Domina* palatio ſeu arce, die proximè ſubſequenti (qui Octobris *nonus*,

Digitized by Google

nonus, *& Feria ſexta* fuit) cum ſuis, ac ſibi charioribus, penitùs exceſſit: inque urbem ipſam *Itatam* ſe ex palatio recipiens, ædibus *conſobrina ſua* immigravit. In arce verò, à ſe deſertâ, de famulabus ſuis animoſiores aliquot, cuſtodiæ gratiâ, reliquit. Ex *ancillis* his, *una* quæpiam, Octobris *die decimo* (qui *Sabbatinus* erat) tenebreſcente jam veſperâ, *in cellam* intrans *diſpenſatoriam* ſeu *Penuariam* arcis illius; clariſſimè ſe citari à *Catharina defuncta* audivit. Cùm nihil autem reſponſi redderet vocanti, terrore conſternationéque præpediente: denuò hæc, ac tertiùm, ab ea citatur. Quæ (ut fieri ſolet, ac par eſt) formidine nimiâ concuſſa, dat in fugam ſe, *cellâque Penuariâ* ſe proripiens, ad conſervas cæteras, anhelans, ac frigidùm ſudans, recurrit. Quid eſt? (inquiunt illæ): aut cur præter morem paves, ac tremis? Quibus illa; *Catharina* (inquit) in *Officina* eſt *diſpenſatoriâ*: & ad ſe venire me, trinâ vocatione, jubet. At illæ; Non effugies (ajunt): ter vocatam, non abſiſtet vocare ſæpius; & ubique locorum te (ne dubita) repertura eſt. Præſtat igitur, ut, priuſqnam profundè noctеſcat, illáque te vel in tenebris, vel in loco magìs ſolitario, aggrediatur & obruat; tu nunc potiùs, ac prior, eam alloquaris. In hunc modum, ſi aliud nihil proficias, liberabis nos ſaltem, omnes, ac familiam reliquam; tot ac tam diuturnis Spectris. Et quid ſcis, an non juvari poſſit adhuc? aut, quid locutura tibi ſit! At *ancilla*; Non habeo, (inquit) non reperio in me, tantum animi, trepida; ut *Spirtui* infeſto colloquar. Deus (ajunt illæ) roborabit te: Deus animos addet, *Deum*, ac *Ieſum*, in auxilium advoca.

Digitized by Google

advoca. Simúlque conſervarum alia quæpiam *Cereum* inflammat conſecratum: & ; Hoc, inquit, *lumine benedicto* inſtructa, jam ad *Catharinam* animosè regredere. At illa; Si quidem (ait) veſtrum aliquæ comites irent. Sola namque nec audeo, nec poſſum. Tecum igitur pariter & nos vadimus (ajunt, è minùs trepidis ancillæ duæ): *Crux* ſacroſancta, noménque JESU *triumphale*, nos tueantur, *ab inimici poteſtate*! Sic eunt; & earum media incedit ea, quæ *nominatim citata* fuerat, *Ancilla*: idque, cum *Cereo* in manu, fiduciáque Chriſtianâ in pectore. Ità *Penuariam* ingrediuntur *Cellam*.

XI. Verùm, jam eminus cum clamore inſano *Catharina* prævertens eas; *Non ſic*, inquit, *non ſic!* ſed, *tu ſola*, quam nominatim advocavi, accede: cæteræ verò abſcedant. *Cereum* quoque tuum hunc abjice, (nam torquet me) & ſic, hoc ipſo in loco, quem deſigno, ſola ſta, & auſculta. Videbant autem eam ancillæ, ore præſentiáque vivaci, & familiariter olim notâ, adſtantem; in hunc omnino, quem deſcribam, modum & habitum: quem vos, *puellæ procaces*, & vos *laſcivæ* (ſiquæ ubicunque eſtis) *fœminæ*, intentis, volo, oculis hauriatis. *Caput* (cujus Virgineam coronam tam turpiter *Catharina* prodegerat) loco meretricii ornatûs & capillamenti, totum in flammis erat. *Pedes*, in choreis laſcivis nuper exerciti, nec ſemel fortaſſis in illectamentum amatorum ſtudiò renudati, ſtabant in flammarum & ipſi volumine. *Corpus medium*, ac *membra*, quæ velari natura pudórque jubent, *ignitâ* quadam quaſi *faſciâ* cingebantur, ad *octo* vel *decem* circiter *digitorum* latitudinem; quæ tamen ipſa *faſcia*,

O non

non ſolùm mediam ambibat puellam, ſed inſuper à parte corporis anteriore defluebat in terram, flammatâ quadam proluvie: Videbatúrque (inquit, ſeu Spitillus, ſeu Bencius) *Libidinis & admiſſæ turpitudinis pœna quadam & caſtigatio* ſpecialis. *Reliquo toto Corpore*, ex membrorum *articulis*, & *juncturis* omnibus, *flammas* emittebat; & cum flammis pariter *incredibilem fœtorem*: qui ſignatè turpiſſimorum concubituum erit *balſamum* & *moſchus*, in tormentis Inferorum; velut ex *Apocalyſeos* viceſimo primo capite, verſu octavo, colligimus.

XII. Talis erat, talis adſtabat, in tenebroſa cella, *Catharina*: cujus conſpectum (quantum ex hiſtoria ſuſpicari licet) propiorem, cæteræ conſervæ duæ non ferentes, ut juſſæ fuerant, utique ſeceſſerunt. Illa verò, quæ, principiò ſtatim vocata, cum ardente *Cereo* venerat, præ terrore, pallore, albedine, totiúſque corporis trepidatione, vix conſiſtere pedibus; & adhuc in limine *cellæ penuariæ* morari. Cui infelix *Defuncta*, voce terribili increpitans; *Accede-ſis huc iam!* (acclamat) *accede propinquius!* Et; *Quoties ego te* (addit) *evocavi? quid tremis?* In quæ *Ancilla* pavitans; *Bone IESV!* (inclamat) *& quis non horreat; ac contremiſcat, aſpectu tui tali, tam formidabili?* Dum autem hæc loquitur, & adhuc præ timore, quid rerum agat incerta eſt: in eandem illam *penoris cellam* deſcendit (haud dubiè cœlô) *puer* formoſiſſimus, amictu candido coopertus: qui *ancillæ huic* animos addidit, hortando; Ne denuò, ſicut priùs, fugeret, néve pavitaret: ſed recollectis potiùs ſenſibus, attenderet, & memoriæ cunctæ cum cura infigeret, quæcun-

que

Digitized by Google

que ei *Catharina* dictura eſſet; eâ mente ſtudióque, ut poſthac éadem aliis quoque omnia, ſalutarem ad terrorem incutiendum, evulgaret. Adjecit autem; *Tu verò quoque*, ut primùm ex hoc loco diſceſſeris, ad *Patrem* continuò, ruptâ morâ, propera: tuáſque apud eum animæ maculas omnes liquidâ *Confeſſione* fac eluas. Dixit hæc cœleſtis puer: & immodicum terrorem ex parte magnâ diſſipavit. Statímque *Catharina*, cœptum ad ancillam ſermonem proſequens;

XIII. *Noveris* (ait), *me Gehennæ addictam*, & atrociſſimis *Inferorum* ſuppliciis excarnificari, *ſine fine* plectendam. *Cauſſa* fuit: Quòd, cùm *Patris* (Samaniegi) me genibus advolverem, *Confeſſionis* peragendæ gratiâ, *Leviſſima* duntaxat peccatilla recenſuerim: cujuſmodi ſunt; *Quòd Garrula* eſſem; *quòd effutirem* ſubinde, quæ taceri præſtitiſſet; *quòd in iram* proclivior; & id genus alia leviuſcula. Quòd autem corpore per libidinem abuterer: quòd clanculum cum juvenibus, & ſæpenumero quidem, impudicis congreſſibus, laſcivirem, ſilentio pertinaci ſemper involvebam. Hinc incendium hoc meum: hic *Damnationis* meæ ſempiternæ fons, hæc cauſſa fuit. *Tu proinde* (ſubjungit porrò) *de meo interitu fructum & exemplum carpe. Diſce, integrè ſynceréque confiteri? nullúmque penitùs crimen, quod conſcientiæ tuæ ſeſe obtulerit, ſubticere.* Equidem, tanquam *Damnatarum* una, tanquam Inimica Dei & Cœli, maluiſſem iſta non revelare; ne Sociarum damnationis meæ numerus, ex emendatione peccatricum mulierum, imminueretur. Sed *compellor, ad hæc evulganda*, vi Numinis potentiore: *cuius imperio ſignatè mihi iniunctum eſt*,

noſtrati hæc ut ſexui publicarem. quem propterea talium in præſentia ſeriò commonefacio; ut in meum Damnationis Speculum omnes ac ſingulæ veſtros oculos defigatis. (Intuemini proinde, intentíſque mentibus expendite, *Catharina* parænefin hanc, ô vos Juvenculæ, præcipuéque peccatrices: vos quoque, nuptæ matronæque, & viduæ, & viri, & adoleſcentes. Videte *Damnationis*, in hac puella, ſempiternæ *Cauſſam Inchoatricem*, Libidinum *abominationes*, & infandos congreſſus! Deinde, *Cauſſam Promotricem* gehennæ, eámque graviorem, Alteram: *ſacrilegam* nempe patratorum ſcelerum *Taciturnitatem*, aut etiam, effrontem eorum *Negationem*.)

XIV. Dum autem in illis, quæ dixi, verbis ac monitis *Catharina* eſt: è turri *Salutationis Angelicæ* *pulſus*, de more, veſpertinus, inſonare cœpit. Quem non ferens *Damnata*, confeſtim in Cellæ penuariæ tenebricoſum quendam & retruſum angulum digreditur: dein & evaneſcit. Nam (quod obſervatu dignum, dilectiſſimi) neque Dæmones, neque Damnatorum hominum Spiritus, neque adeò Sagæ volantes, aut in conventibus ſuis diabolicis congregatæ, ferunt hoc æris Campani ſignum *Salutandæ Deiparæ*: quo tamen pii omnes mirificè excitantur ad fundendas flexis genibus preces, & pro Incarnati VERBI diviniſſimo beneficio gratias Deo agendas. Unde videant, qui nec in domibus quidem ſuis tunc genua ſua flectunt; & inſuper, ingeniculantes alios impediunt, irrident, exſibilant, perſequuntur, & exagitant: quàm amicum præſtent & gratum obſequium Lucifero, Diabolis, damnatis in Gehenna hominibus, & in terra Veneficis? Quanquam non

Digitized by Google

non raró, qui in hoc genere nimis impiè delinquunt, conſortii Diabolici magicíque ſeipſos quoque ſuſpectos reddant; ſive jurè, ſive injuriâ. Quam proinde ſuſpicionem ſi effugere penitùs cupiunt, penitùs in poſterum ſeſe emendent. Aliter in *Puero* hoc *Sanctus* (ut piè credimus) *Angelus*. qui, non niſi *Salutatione Angelicâ* ad finem, unà cum pulſû, perductâ, (ſub qua ipſe cum *Ancilla* conſtanter permanſerat) miſſionem famulæ dedit; ad ſuos redire domeſticos juſſæ. Quod ipſa confeſtim eſt exſecuta, digrediens indè, ſuas ad conſervas; &, haud dubiè, cætera quoque, (maximéque, de integrâ ſtatim Exomologeſi peragendâ) Angeli mandata exhauriens: *teſtata* inſuper, geſtæ rei publicatione, *maiori minorique* (ut divinis Scripturæ verbis utar) *nihil extra dicens* (*L:*), quàm, quæ utrimque, tam ab *Angelo*, quàm à *Damnata*, dicta perceperat.

XV. Et hæc eſt illa, quam ſic *Delrius* nominat (*M.*), *Omni fide conteſtata, hiſtoria*. In qua ſanè, præter *Peſtiferos peccatorum mortalium Fructus* alios, apparent *Pœnæ* præcipuè *duæ* illæ nominatiores. *Altera* quidem; Ut *in hac vita* permitteretur (ob *ſacrilegas* utique, in bona adhuc valetudine, *Confeſſiones*) tandem & morbi ſupremi tempore, in Obſtinationem pariter, & *Efficacis* (ad ſyncerè confitendum) *Gratiæ* privationem incidere. *Altera* verò *pœna*, ſempiterna *Damnatio*; conjuncta cum tanto dedecore, etiam *temporali*: dum voluit Deus, ut (contra receptum alioquin in *Damnatis* cæteris morem) publicaretur orbi toti *Peccatricis* hujus *Reprobatio*; etiam ante ſupremum *Iudicii* diem. Quod quidem jure meritiſſimo factum eſt. quippe, cùm ex ipſius *inve-*

verecundiſſima iactantiâ, *& propalatione*, temerati toties Sacramenti, publicum eſſet ſubſecutum ſcandalum, tum apud alios innumeros, tum verò apud gentes præſertim illas, ad Chriſtum recèns traductas (& ideo minoris æſtimaturas Sacramentorum Eccleſiæ majeſtatem, ſi tam impia illorum violatrix contemptrixque id impunè tuliſſe cenſeretur): ingens confeſtim apud omnes, aut pleroſque barbarorum, ſubſequi divinorum potuiſſet myſteriorum vel contemptus, vel abutendi ſaltem licentia. Debuit ergò, dilectiſſimi, debuit omnino Damnationis illius, tanquam in *Theatro* quodam, exhiberi publicatio, *apparitióque* tam portentoſa, quantam modò & audiſtis, & tantùm non oculis veſtris ſpectâſtis; ut, *quod delictum publicè fuerat*, *in publico quoque corrigeretur*: ſicut in ſimilibus loquitur, ac docet, Sanctus Thomas, in tertia parte, quæſtione quinquageſimâ quintâ. (N.)

XVI. Neque tamen hinc, è *Catharina* hujus publicâ ſui *iactantiâ*, de violatâ Confeſſione, & juſtiſſimâ indè ſecutâ, *Damnationis* ejus *infamatione*, ſic jam imperitior aliqua ſibi blandiatur, aut argumentetur: talia ſecum ipſa dicendo; *Equidem fateor*: A tempore jam aliquo, aut fortaſſe multo, ſimulatè *Confeſſionis Sacramentum* obeo; peccatáque nonnulla enormiora cœlare ſoleo. ſed in iſto tamen, nequaquam me *iacto*, gloriórve: nec illud aliis enuntio, ſicut *Catharina*, Immò potiùs idipſum mecum ipſa deploro frequenter, & ingemiſco, ſingultióque: in occulto me caſtigo; ingeniculans oro; pauperibus elargior; jejuniis meum corpus, & cilicinis veſtibus, & flagellis aſperis, affligo: ut miſericors Deus illa mihi facinora

Digitized by Google

facinora (dummodo tamen ſine *Confeſſionis* onere) clementer remittat. Quod, ſi non faciet, *damnabor*, eſto! modò ne innoteſcam, ſicut innotuit *Catharina*: modò ne nomen meum, & fama integra, traducantur per orbem, ſicut Catharinæ traductus interitus eſt. Hæc *tu* quidem. Sed audi, quid adversùm hæc *ego*. Verum quidem eſt, nec ego nego; *Damnationis* hanc *propalationem* in impuriſſima *Catharina* ideò factam; quoniam aliter *ſcandalum* tam ingens ſopiri non facilè poterat. quæ, ſi ſiluiſſet de occultis ſuis, &, de occultorum occultatione in *Sacramento Pœnitentiæ*, ſederet illa quidem in *Gehenna*: ſed fortaſſe necdum Interitûs illius ſempiterni *publicata* Sententia fuiſſet. *Deus* enim, ſicut ſcriptum eſt (O.) *cum tranquillitate iudicat, & cum magna reverentia diſponit nos*, (parcens, quoad ejus fieri poteſt, honori noſtro). *Veriſſimum* hoc; ſed, *non* etiam *perpetuum*.

XVII. Sunt enim & *aliarum* exempla, quæ in occultiſſimo tenebant libidinum ſuarum *Abominationes*; uſque adeò, ut putarentur vulgò *Sanctæ*: nec ulli mortalium offendiculum creabant, ſive peccando, ſive peccata ſupprimendo. Et nihiloſecius Deus manifeſtam fecit viventibus earum talium *Damnationem* æternam. Sic apud Cremonam *Matrona nobilis*, oranti pro ſe *filiæ* ſuæ, poſt ſeptimanas aliquot, à die ſepulturæ, conſpicuam ſeſe ſtitit; ſpecie *porcelli excoriati* & igniti, cum fœtore teterrimo: dixítque; *Nóveris, me tuam eſſe maledictam matrem*; quæ *Sanctam* videbar, & ex omni parte inculpatam, vitam agere; ſed æternis *Gehennæ* ſum ignibus addicta. *Et cur?* (inquit filia) Cui mater; *Propter*

O 4 *quadam*

Catharina Damnata.

Digitized by Google

quadam (inquit) *enormia déteſtandáque peccata*, quæ ego cum *patre* quondam tuo (*marito* meo) *fœdiſſimè* perpetravi: & præ verecundia *nunquam confeſſa* ſum. Aliáque ſubjunxit complura; ſuper arcas & ſcamna cubiculi ſui ſaliens, ac ſpurciſſima immunditiæ ſuæ veſtigia, toto thalamo, relinquens. En, hujus nulla fuit *iactantia*, de temerato per ſacrilegum ſilentium *Sacramento*! ſed potiùs *Sanctitatis* publicæ ſpecies; *nominatim* verò, ut illius hiſtoriæ ſcriptores tradunt, Seraphinus Razius (*P.*) & Gabriel Inchinus (*Q.*) *nominatim*, inquam, in frequentandis aſſiduò Eccleſiis, in erogandis eleemoſynis, in omni domeſtica diſciplina, bonos ad mores formandâ. Et tamen illius ſecuta *Damnatio*, revelatus Interitus, ac per omnem deinceps Italiam divulgatus eſt, per *Damianum* maximè *Bousfolium*, Verni Jejunii tunc, in diœceſi Cremonenſi. Concionatorem: qui Apparitionis *immunda* illa, de quibus dictum eſt, *veſtigia*, ſuiſmet ipſe oculis inſpexit: &, inſpexiſſe ſe, palàm profeſſus eſt.

XVIII. Sed, quidquid de hoc fiat; tametſi non promulgetur nunc, in hac vita, *Damnatio* tua: ibi quidem certô certiùs proclamabitur, in *die* illo *magno*. Tantiſper, in *Gehenna* tu ſedebis; æternùm ſeſſura. Et nondum iſta te movent? *Movent* (ait): Sed ego ſum in Igne *multò graviore*, ſiquando *confiteri* fœditates meas occultas conor. & idcirco, In illa *Gehenna* flamma, quàm in iſto pudoris & erubeſcentiæ incendio, torqueri malo. O, te millies, iterúmque millies, inſanam ac ſtupidam! quæ, *parvum* ut malum evites, malorum omnium *atrociſſimum* eligis! Tu mentis compos: tu, quid præoptes, intelligis? Tu, quid

Digitized by Google

Gehenna ſit, nôſti? Utinam quidem, ô utinam ſcires! *O, ſi cognoviſſes & tu; & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi! nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* (*R.*) Infernum inquam, & ſtagnum Tartareum, & mare flammeum, & lacum horribilem, flagrantem igne, ſulphure, & pice: Lacum, ſine menſura profundum, ſine fundo immenſum; plenum ardore incomparabili, refertum dolore inennarrabili: ubi miſeria, ubi tenebræ, ubi *ordo nullus, ſed ſempiternus horror*: ubi dolentium nulla nec die, neque nocte, requies: ubi (quod abhinc octavo die dixi; ſed dicendum tamen, ac repetendum, millies eſt) fletus, & clamor, & ejulatus, & cruciamenta, & terror, ac tremor, & tonitrua fulmináque divini furoris, & diabolórum torquentium aſſidua verbera, & conſcientiæ verminantis continua laniena, & *omnis boni* certiſſima deſperatio, *omniſque mali* præſentiſſima ſemper præſentia: ubi denique perpetuum eſt Nolle, illius, quod Semper habebis; & ſempiternum Velle, illius, quod habitura Nunquam es. (*S.*): ubi, ad ſummam, tormentorum æternitas; & Redemptio in Inferno nulla. quod, quantum & quale eſt? Nimirum, In flammis intolerabilibus tanta támque *diuturna* ſæculorum omnium, & omnis ævi, Cruciatio; ut, ſi Cœlum omne, terrámque, immò mundi machinam univerſam, à centro Gehennæ ad Empyrii Uſque cœli Summitatem, *granis ſabuli* minutiſſimis impleres, & unicuique granorum ejuſmodi, tot Annorum (immò &, Sæculorum) myriadas, aut etiam milliones, aſſignares, quot in Oceano vaſtiſſimo, & in omnibus æquoribns, & lacubus, & fluviis, ac rivis, & fontibus, guttulæ ſunt: *Diuturnitas* illa tormen-

Digitized by Google

torum Infernalium (conſumpto illo tam inexplicabili numero & computatione, omnibúſque illis annorum ac ſæculorum millionibus exactis) *initium* quidem haberet; *medium* autem, nunquam: &, omnium minimè, *finem* atque conſummationem pœnarum. *Converte nos* igitur, ô, Deus, *ſalutaris noſter*! &, ut perfectè pœniteamus ac confiteamur; *iram tuam* (quâ ſacrilegè diu peccata ſua cœlantes, interdum *in illo* quoque *momento, ex quo pendet - Æternitas,* Efficaci tuâ Gratiâ deſtituis) *à nobis averte*! (*T.*)

TESTIMONIA.

[A.] *Capit* 33. *verſ.* 14. [B.] *Lucæ* 16. *v.* 27. [C.] *Sapientiæ* 2. *v.* 1. [D.] *ad Roman. cap.* 11. *verſ.* 33. *&* *Pſal.* 35. *v.* 7. [E.] *verſu.* 1. *&* 2. [F.] *Vide, de his doctè differentem, Martin. Delrium lib.* 2. *diſquiſit. magic. quæſt.* 26. *ſect.* 5. *totâ.* [G.] *Eccleſiaſtici* 39. *verſ.* 33. *& ſeqq.* [H.] *Sapient.* 5. *v.* 18. [I.] *ad Philippenſ.* 3. *v.* 18. *&* 19. [K.] *vide Delrium, lib.* 3. *diſquiſitt. part.* 1. *quæſt.* 7. *ſect.* 1. [L.] *Actor.* 26. *verſ.* 22. [M.] *Diſquiſitionum magicar. lib.* 2. *quæſt.* 26. *ſect.* 5. [N.] *artic.* 1. *ad* 1. [O.] *Sapient.* 12. *verſ.* 18. [P.] *In hortulo exemplorum, titulo de Confeſſione cap.* 3. [Q.] *Gabriel Inchinus, de* 4. *Noviſſimis.* [R.] *Lucæ* 19. *verſ.* 42. [S.] *S. Bernardus, de Conſideratione, ad Eugen: Papam.* [T.] *Pſalm.* 83. *verſ.* 5.

Perſiſe-

Catharina Damnata.

Digitized by Google

Peſtiferorum Peccati Mortalis Fructuum,

EXEMPLUM TRAGICUM. VIII.

APOSTATÆ JAPONES.

Peccata Mortifera Fructum proferre, Fidei Naufragium, & Perſeverantia Finalis luctuoſam iacturam.

Dictum 2. Aprilis, ſeu, Dominicâ Palmarum: Veſperi.

I. AD *Peccatorum Mortalium peſtilentes Fructus*, totâ hucuſque Quadrageſimâ productos, & ad illorum horrendos *Effectus* atque *Damna*, videri nonnullis fortaſſe poterit, vix addi quidquam adhuc poſſe; niſi fortè, *Privatio Viſionis beatificæ*: cujus *Gloriæ amiſſionem* meritò Divus Chryſoſtomus *amariorem* multò peccati mortiferi fructum, *quàm ipſiuſmet Gehennæ*, cenſet, eſſe *ſupplicium*. (*A.*) *Nihil*, inquam, videri quibuſdam poterit adjici prædictis *Peccatorum lethalium fœtibus*, poſſe. Quàm horrenda namque, quàm tetra, quàm funeſta ſunt, quæ hucuſque adduximus? *Infamis* (inquam) *mors*, & *decollatio* cruenta; perſonarum etiam *Principalium* cervicibus, ſuo tempore,

pore, inflicta: propter commiſſa, jam olim, *peccata lethifera*? quemadmodum in *Protaſio*, Arimæ Rege, vidimus. *Combuſtio viventis*? ſicut in *Paulo Daiſachio*, palatino Secretario. *Interfectio repentina corporis* ſimul & *animæ*, in ipſo deteſtabilis adulterii flagrantiſſimo facinore? velut in *Caſtelperſia*, *Paulino*, & *Panatio*, mœchis. *Obtortio colli*, *caniniſque Diabolorum morſibus* dilaniata Vita? ſicut in *Equite* Hiſpano. *Ignis*, cœlô demiſſus, ignei *Leones*, & ardentes Tartareâ flammâ *ſartagines*; in morte, *deſperationis* pleniſſimâ? quemadmodum in *Sacerdote* Liciniacenſi. *Mors*, in *obſtinatione* voluntaria, repudióque contumaci *Confeſſionis* ſyncerè peragendæ, etiam in ipſo vitæ fugientis articulo? Tum *Dei Ieſúque* repulſa, contemptus, exſecratio: ideóque ſecuta, poſt obitum, ac mortalibus revelata, *Sempiterna Damnatio*? velut in *Catharina Peruanâ* proximè trementes audivimus, & tantùm non aſpeximus. Ad hæc, *Separatio à Deo*; Bonorum *operum* omnium *infructuoſa* ad Salutem ſterilitas; cunctorum *præcedentium meritorum* in perpetuum omiſſio, *iacturáque* deploranda. *Diabolus infeſtator*, & *maledictio*, & *infelicitas* in cunctis, etiam *temporalibus*, in domo, in agris, in conjuge, liberis, familiâ, poſteritate. *Continuus* denique *Conſcientiæ*, mortiferè gravatæ, mœror, triſtitia, *angor*, morſus remorſúſque, ac laniena; &, ex his, frequens *ſuimetipſius*, ac deſperata, *interfectio*. Quæ, nónne *gravia* ſunt, ac formidanda? Et tamen, E *Peccatis mortiferis* omnia (velut dixi, probavíque) certiſſimè ſubſequuntur.

II. Potéſtne his tantis ac talibus, *Fructus* adhuc aliquis *Peſtifer* adjungi, vel ſuperaddi? POTEST,

Apoſtatæ Iapones.

POTEST, dilectiſſimi, poteſt. Et quidem iſte *Geminus*. FIDEI videlicet *veræ Catholicæq;* NAUFRAGIUM, ex *præcedente* Uno, vel pluribus *peccatis lethiferis*: & PERSEVERANTIÆ FINALIS (in *Charitate Gratiaque gratum-facien-te*) jactura *Irreparabilis*: propter *demeritum*, quod homo *gravi* priùs aliquo commiſſo *Peccato mortali*, incurrit. Quorum *utrumque*, quantæ ſit *Maledictionis* ac *Ruinæ*; Charitatis Veſtræ, tenax-recti, devotio (priuſquam ad alia progrediatur audienda) meritò menti debet, ac ſtudiosè quidem, infigere.

III. Et quidem, FIDEI facere NAUFRAGIUM, quàm lamentabile ſit, æterniſque meritò lacrymis deplorandum, hominis excidium; ex eo clariſſimum eſt; *Quòd* FIDES *non poſſit eſſe Vera, niſi Vna unica*: ſicut docet beatiſſimus Paulus ad Epheſios capite quarto, verſu quinto, cùm ait; *Vnus Dominus, VNA FIDES, unum baptiſma, Vnus Deus, & Pater omnium.* FIDES (inquam) illa *vera*, quam ſemper, à temporibus Salvatoris & Apoſtolorum, per annorum centurias pluſquam ſedecim, majores noſtri conſtantiſſimè tenuerunt; & nos hodie, per Dei gratiam, retinemus, Quâ proinde amiſsâ, *Salutis* damnum ſit, & ruina, tum *Ingens*, *Æternáque*; tum penitùs *Irreparabilis*. *Ingens* quidem & *æterna*: quia (ſicut alibi loquitur, ac docet, Sanctus Paulus, (*B.*) & vel parvuli nôrunt, è Catecheſi Catholicâ) *ſine FIDE, Impoſſibile eſt, PLACERE Deo.* Confirmatur hoc pariter, & explicatur: quia (ut Divus Thomas, cum Patribus ac Theologis, tradit) FIDES *Vera*, eſt *Subſtantia*, hoc eſt, Fundamentum, *totius Spiritualis ædificii*. (C.) Et alibi;

Digitized by Google

libi; FIDES, *eſt* Principium *ſpiritualis ædificii*, item; FIDES *eſt* Neceſſaria, *ut* Principium *ſpiritualis vitæ* (D.): *demonſtrans nobis* eminus *Deum*, *& præmia cœli*; & *alibi Gehennam*, ac ſupplicia æterna, *pro peccatis*. Idem; alio loco; SINE FIDE VERA, NULLA VERA EST VIRTUS: (&, ex conſequenti, *Nulla Salus*) Immò, nec ad *Virtutes Veras* unquam perveniendi, *ſpes* ulla *vera*, ſine FIDE *Verâ*. Quocirca; ob idipſum Homo; FIDE *Verâ* inſtructus, perſimilis eſt ei, qui in tenebris denſiſſimis verſatur & ambulat; ſed, ad viam legitimam tenendam; habet ſecum *Lucernam*: &, præter *lucernam*, etiam *Ignitabulum*, ad lucem (ſi hæc fortè extingueretur) reparandam. Homo verò, deſtitutus *Verâ* FIDE, ſimilis eſt ei; qui in caligine quadam Ægyptiacâ vagabundus, nec *lucernam* habet; nec ſaltem *ignitabulum*: hoc eſt, Neque *lucem Bonorum operum* ac *Virtutum activarum* (à Chriſto præceptam nobis, Matthæi quinto capite; verſu decimo ſemptimo) nec *Ignitabulum* adeò fomitémque FIDEI, unde poſſit *Lucem*, ad *currendam Viam mandatorum Dei* (F.), reaccendere atque inſtaurare. Et hoc videlicet, (nec aliud) vult *os aureum*, S. Joannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus; cùm in Divum Matthæum (G.) ſic de *Fide verâ* ſcribit, ac loquitur; FIDES, *eſt Caput & Radix*; *quâ ſervatâ, etiamſi omnia perdas*; *omnia tamen* rurſus *maiore cum gloria recuperabis*. Eſt igitur, (ſicut dixi) *Vera* FIDEI, (per contumacem præſertim, & induratam, perfidiam abjectæ amiſſæque) damnum ac *Ruina* valdè *Grandis*; & *Sempiterna*. Quòd verò inſuper *Ruina* talis, ac deſultus à FIDE orthodoxâ, damnum

Apoſtatæ Iapones.

ninum ſit & exitium *Irreparabile* : imò lapſus & calamitas, *nullius* uſpiam *boni* commutatione *compenſabilis* (niſi ad eam ipſam orthodoxam FIDEM, à qua, quod Deus avertat, excideres, revertatis) ; Sole clarius eſt, ex eo : quòd nequeas FIDEM illam ſupplere ullâ aliâ, ex tot millibus (ut ſic loquar) FIDERUM, in mundo circumvagantium : Cùm profectò *Nulla alia* (quæcunque demum illa ſit, ac fingatur) ex tot millibus, poſſit eſſe *Vera* orthodoxáque FIDES ; ſed UNA UNICAQUE duntaxat poſſit eſſe *Vera* legitimáque : ea nimirùm, à qua digreſſa (prôh dolor !) prolapsáque es, ô millies infelix anima ! Sequitur igitur ; Jacturam hanc amiſſæ *veræ* FIDEI (niſi ad eam ipſam redeas) eſſe *Incompenſabilem*, *Irreparabilémque*. Et hæc dicta Charitati Veſtræ ſint, De FIDEI *Veræ* ſupremâ rigidiſſimâque *Neceſſitate* ; déque *Damni*, *ex* illius *amiſſione* conſurgentis, *incomparabili magnitudine*.

IV. Quod verò nunc attinet, ad FINALIS (in *Gratia* & *Charitate*) PERSEVERANTIÆ jacturam : manifeſtiſſima eſt illius *magnitudo* & *Irreparabilitas*, ex iſtis Chriſti, Scripturæ, Patrùmque Sententiis. *Chriſti* quidem, cùm *De Domo*, (*H.*) *à Ventis & flumminibus* (hoc eſt, *Tentationibus*) ſuperatâ ; *Et Cecidit* (inquit) *&* facta eſt *RVINA* illius *MAGNA* (id eſt, *Inexplicabilis*, &, quâ nec *Maior* ulla poſſit ulli contingere, quàm, quæ cadere facit cauſsâ in poſſeſſione *Summi Boni* ; nec *Altior*, quàm, quæ de Cœlo, præcipitat in *Infernum*, eô ipsô, quòd deturbat à *Finali Perſeverantiâ*) Ad ejuſdem *damni* Ruinæque *Incomparabilitatem* exprimendam, ſpectat

ſtat & illa altera *Redemptoris* noſtri fulminatrix Sententia, apud eundem, ubi priùs, Evangeliſtam; hoc eſt, Matthæum (*I.*); *Quam dabit* (inquit) *homo* Commutationem, *pro* Anima *ſuâ*? (amiſsâ ſemel & ſimul, in *Finali Imperſeverantia*; de qua ibi ex inſtituto fit ſermo, adversùs eos, qui, nimio vitæ præſentis ſtudio & amore, *deficiunt.*) In quem ſenſum & mentem, etiam Divus Bernardus hanc Chriſti gnomen explicat, epiſtolâ centeſimâ viceſimâ nonâ. Idem denique, tametſi non verbis iiſdem, loquitur & ſentit *Salvator* noſter alibi, apud eundem, quem ſuprà, Evangeliſtam (*K.*); dum, QUI PERSEVERAVERIT (inquit) USQUE IN FINEM, HIC SALVUS ERIT HIC, ait, HIC; *nec Alius*, *Salvus erit*: cùm (ut clarum eſt) *propoſitio* hæc, ſeu *Enuntiatio*, æquivalenter ſaltem & implicitè, particulam, quam vocamus, *Excluſivam*, TANTUM, aut SOLUMMODO, aut, SOLUS, ſecum vehat. Et hæc quidem *Redemptoris* (hoc eſt, *Veritatis æternæ*, Verbíque Patris) de Magnitudine jacturæ *Perſeverantiæ Finalis*, axiomata ſunt. Veniamus nunc & reliquam ad *Scripturam*. In qua Spiritus ſanctus, Eccleſiaſtici ſecundo capite (*L.*); *Væ*, (inquit) *his*, *qui perdiderunt SVSTINENTIAM!* (*M.*) *&*, *qui dereliquernnt Vias rectas: & diverterunt in Vias pravas*! Quid autem aliud, (ex more divini ſtyli) ſecum apportat illud *Væ-comminantis* Tonitru; quàm, Interitum, & *Væ*, *ſempiternum*? Agè verò, *Patrum* quoque, Eccleſiæque Doctorum, quis, ſuper hoc ipſo, ſenſus eſt? S. quidem Gregorius Magnus (unum enim atque alterum, pro omnibus, adduci, ſatis eſto) primo Moralium ſuorum libro; *Incaſſum* (ait) *Bonū* agitur,

agitur, ſi ante vitæ terminum deſeratur: quia, FRUSTRA VELOCITER CURRIT; QUI, PRIUSQUAM AD METAS VENERIT, DEFICIT. Divus autem Bernardus; *Perſeverantia* (inquit) *Finis eſt Virtutum, earúmque conſummatio*: SINE QUA, NEMO VIDEBIT DEUM. (*N.*) Ad ſummam! *Perſeverantia* (ut notum apud doctos eſt) DEI ſpecialiſſimum DONUM eſt, connexum *Prædeſtinationi*: & GRATIA quædam PRIVILEGIATA; *non cadens ſub meritum de Condigno*: & excepta à promiſſione & impetratione infallibili eorum, quæ in precibus ſuis Juſti petunt à Deo. Unde manifeſtum eſt; *Quanta* ſit, &, quàm *Irrevocabilis* in omnem æternitatem Ruinâ miſeriâque illius, qui PERSEVERANTIÆ *Gratiam* amiſerit: præſertim, cùm, quem Deus hujus doni ac Virtutis eclipſi, in pœnam peccati præcedentis, obtenebrari permiſerit; eum nullorum poſſint hominum, ignitiſſima quamtumvis, hortamenta revocare: ſicuti patet ex Eccleſiaſtæ capite ſeptimo (O.) ubi; *Conſidera* (inquit) *opera Dei! quòd NEMO poſſit corrigere, quem ille deſpexerit.*

V. Quapropter (ut in ſummam omnia, quæ dixi, conferam) id, quod principiò ſtatim aſſerui, certiſſimæ veritatis oraculum eſto; FIDEI ſcilicet veræ *Naufragium* & *Perſeverantiæ Finalis* jacturam, duo eſſe *Damna, Maledictionéſque* à Deo, humanam omnem æſtimationem longè ſuperantes. Et tamen, utraque earum, *peſtifer* eſt *Fructus peccati mortalis* alicujus; ſubindéque plurium, ruinam ultimam præcedentium. Id ſic habere ſe; de FIDEI quidem *Naufragio*, teſtis eſt locupletiſſimus divinus Paulus, primâ ad Timotheum

theum epiſtolâ, capite primo (*P.*); *Habens* (inquit) *conſcientiam Bonam* (eam non utique *Venialia*, ſed Mortifera Peccata, evertunt, ac *Malam* ex Bona conſtituunt): *quam* (Conſcientiam Bonam) *quidam repellentes* (per transgreſſionem legis *mortiferum*) *circa* FIDEM *naufragaverunt*. Id, quod omnis ſemper ætas, ab ipſis Eccleſiæ primordiis, oſtendit: & nos, (ac progenitores noſtri) oculis vidimus noſtris, & manibus palpavimus, in præſentem uſque diem. Quid enim (rogo vos) quid *hodiéque* currit, ex Eccleſiæ Catholicæ gremio, devolátque, ad Lutheranos, ad Calvinianos, ad cæteras Sectariorum haras; ibique ſedem figit? nónne ejuſmodi, qui, & quæ, *Conſcientiam Bonam* priùs *repulerunt*? nónne, *Sacerdotes* Sacrilegi, & impuri? nónne *Religioſi* irreligioſi? nónne *Sanctimoniales* viripetæ, & inquieti ſtimuli? nónne *Canonici* ſcandaloſi? nónne *Laici*, vitæ contaminatæ? nónne *puellæ*, (ſicut in *Caſtelperſia* dixi) impudiciſſimis amoribus deditæ? nónne *mulierculæ*, (cujuſcunque tandem ſtatûs, aut conditionis, altæ infimæve,) in omni priùs vitæ diſſolutione, ſtuprorum infamiâ, adulteriorum licentiâ, procandíque turpitudine, vagatæ ac volutatæ? TALES igitur, & horum harúmque ſimiles, *conſcientiam Bonam* ſtudiò *repellentes*, & conſcientiam Malam per *peccata grandia* induentes, tales, tales, inquam, *circa* *FIDEM naufragaverunt*. Iſte fuit, iſte *Fructus* fuit *peſtilens peccatorum*, apud eos, *lethalium*.

VI. Quòd autem & *Perſeverantiæ Finalis* jacturam *Incorrigibilem* & Irrevocabilem, *ſuo tempore denique*, ſive ſeriùs, ſive celeriùs, advehat, ſecum audacia *mortaliter* offendendi Divinam majeſtatem;

Apoſtatæ Iapones.

Digitized by Google

jeſtatem; quocunque tandem in genere *lethalium Peccatorum*: Quòdque è diverſo (clariùs ut loquar) lapſus ille, & excidium à Finali Perſeverantia, eventurum nequaquam fuiſſet; niſi tale aliquod *delictum grave* præceſſiſſet *Imperſeverantiam*: ſive jam facinus illud mortiferum, fuerit *unum* (quod ſæpe ſufficit) ſive *plura* (quod gravius eſt) non tantùm *palàm*, ſed vel in *occulto* perpetrata: hoc, inquam, Eccleſiaſticus divinus clarè docet, capite ſecundo (*Q.*); *Quis* (inquit) *permanſit in mandatis eius* (nempe Dei): *& derelictus eſt*? quaſi ſubinferret; *Siquis igitur à Deo tandem DERELICTVS eſt, in tantum & eouſque, ut is non conferret illi Gratiam Perſeverantiæ-Finalis* (quæ ſanè DERELICTIONUM eſt omnium longè maxima miſerabiliſſimáque) *is talis profectò prior Deum reliquit: non permanendo* ſcilicet *in mandatis eius.* Deus enim, æquè *iuſtiſſimus* & *optimus*, qui *cum Sancto ſanctus* eſt, & *cum ELECTO ELECTVS*, &, *cum Innocente Innocens*, (ut eſt in pſalmo decimo ſeptimo): non, niſi *cum Perverſo* & ipſe (ut Scripturæ phraſi loquar) *pervertitur*; & homini, à ſe verſo, tergum vertit. *Quàm Bonus Iſraël Deus, his, qui Recto ſunt Corde*: (*R.*) E contrario verò, *Omnes, qui te derelinquunt, Confundentur*: *Recedentes à te, in Terra ſcribentur* (non in *Cœlo*, vel, *Libro-Viventium* & Electorum). Cur autem? Summatim, ideò; *Quoniam* DERELIQUERUNT *Venam Aquarum Viventium.* Et, quàmnam illam? *DOMINVM*! clamat divus Jeremias, capite vaticiniorum ſuorum decimo ſeptimo. (*S.*)

VII. En igitur! Quo pacto clarum ſit; Non ſolùm *Defectionem*, à FIDE *verâ* & orthodoxâ,

Digitized by Google

ſed etiam diſceſſionem à *PERSEVERANTIA* rectæ vitæ FINALIS (ſive jam, caſu aliquo, *Fides* maneat adhuc in *Imperſeverante*; ſive pariter amittatur unà cum *Perſeverantia in-via-iuſtitia*) tandem invehi à *Paccatis Mortiferis* (ſive uno, ſive pluribus)? Et quidem tanta nonnunquam eſt hæc Dei, peccatorem *derelinquentis*, maledictio: ut nec *monita* Piorum, nec *Exempla* & incitamenta factorum efficaciſſima, ad retinendam ſeu *Fidem*, ſeu *Perſeverantiam Finalem*, in illo *Dreliſtionis-à-Deo*, procelloſo nubilóque tempore, vel hilum proficiant, apud eos, *Quorum* (tu, Domine) *non es memor ampliùs*, &, qui *de manu tua repulſi ſunt.* (*T.*) Nec intereſt; *Religioſine* tales, an *Sæculares*? utrum *Sacerdotes*, an *Laici* ſint? cùm *Deus Perſonam hominis non accipiat*. (*V.*)

VIII. Quæ omnia luculentiora jam ſtatim evadent cunctis, attentiſſimè mentem & aures applicaturis, ad enarrationem *præſentis Hiſtoriæ*: quam, præter complures alios, litteris mandarunt, P. *Hieronymus Maiorica*, ex urbe Sinarum *Amacáo*, in Relationibus ſuis Annuis. P. *Fabius Ambroſius Spinola*, in vita cognati gentilíſque ſui, *Caroli*. Auctor quoque Libelli, qui inſcribitur, *Theatrum Iaponienſis Conſtantiæ*, typis Joannis Kinkii, vulgatus Coloniæ, anno Chriſti M. DC. XXIV. Accidit verò *Tragicus* hic, quem recenſebo, *lapſus*, anno Salutis noſtræ M DC. XXII. ſeu, ante annos abhinc viginti novem, in *Iapone*, per terrarum orbem decantatiſſimâ illâ Inſulâ. Quemadmodum enim à *Iaponia* nos, OCTO Narrationes haſce Quadrageſimæ Tragicas *orſi* ſumus (in *Protaſio* videlicet, Arimanorum-Rege:) ſic eaſdem hodie, in *Iaponicis* referendis *geſtis* auſpicatò *concludemus*;

Apoſtatæ Iapones.

Digitized by Google

cludemus; Chriſti Servatoris noſtri, nonnullâ imitatiunculâ: qui & ipſe *Beatitudines* OCTO, earúmque præmia, cùm à mercede & poſſeſſione *Regni cœlorum*, *Pauperibus-Spiritu* promiſsâ, *inchoâſſet*; in ejuſdem *Regni cœleſtis* adeptione, *Perſecutionem-patientibus-propter-Iuſtitiam* præparatâ, terminavit: uti, tanquam *Annulus* quidam *Aureus*, à *Gemma pretiósâ*, palæ ſeu ſcrobi illius incluſâ, *circulus* duci cœptus, ad *gemmam* tandem illam ipſam denuò rediret; in eóque ſeſe conſumeret. Sed nos ad rem veniamus exponendam.

IX. *Calviniani* quidam *Angli Batavique*, quos, divino permiſſu, ad exercendam, in *Perſecutionibus*, Eccleſiam ſuam novellam ſeu neophytam, Sathanæ furentis flatus, è regionibus ſuis ac terris, ante aliquot jam annos, trans omnia maria, Japonica quoque in Regna, difflaverat: Hi, inquam, *Angli Hollandíque Calviniſta*, piraticis ſuis myoparonibus Orientalia percurſantes æquora, anno poſt Chriſtum natum milleſimo, ſexcenteſimo, decimo nono, *Navem* quandam, è Philippinis Inſulis in Japonas euntem, interceperunt. In ea navi, adversùs edicta tyrannica Japoniæ Monarcharum (Taicosámæ, & ſucceſſorum) duo erant *Religioſi*, tametſi habitu ſui ordinis diſſimultato; è Divi *Dominici* alter, alter è Sancti *Auguſtini*, ſanctiſſimis familiis: qui, viatorum cultu apparatúque, tendebant in *Iaponiam*, ad ſpargendum illic Chriſtianæ religionis ſemen & Evangelium. Non fefellit hoc *ſuſpicaces* hæreticos: qui, eos *Catholicos* eſſe *Sacerdotes*, odio *Romana Fidei* & religionis, avidè prodiderunt; atque, *ut tales*, in cuſtodiam dediderunt, Guber-

notari primùm regni *Firandenſis*, unà cum navis præfecto, *Ioachimo* quodam, qui eos vexerat: deinde Prætori quoquo *Nangaſaquienſi*, cui nomen *Gonróco* fuit. Cùm autem hic poſterior potiſſimùm (ceu naturâ lenior) agere circa deditos aliquantò cunctantiùs videretur, & diſſimulare: ſceleſti *Calviniſtæ* rem non multò pòſt, apud ipſum, tunc *Iaponiæ* totius Imperatorem *Xogúnum Iuniorem*, Xogúni Senioris (qui & *Cubus*, & *Cubosáma*, dictus eſt) filium, urgere præcalidè cœperunt. In hunc modum, *quadruplatores* hi, *tyrannicique furoris folles*, cauſſa fuerunt; ut primò quidem *gemini Religioſi illi*, de quibus dictum eſt, cum *Ioachimo* pariter, (nauclero illo ſuo) in carcerem *quadriennem* compingerentur. Flammam deinde delatores hi, criminationibus ſuis diabolicis, accenderunt, indignationis omnium graviſſimæ, ab *Imperatore Iaponum* conceptæ: quæ eo uſque exarſit; ut tandem *Tres* illos, quos memoravi, *concremari vivos* juberet: nauticas autem *Ioachimi* operas, viros duodecim, capite multari. Quorum utrumque ſine mora exſecutus eſt *Gubernator* Nangaſaquianus, *Gonrócus* (imperio Tyranni compulſus) ad *diem Auguſti* menſis *dicimum nonum*, anno Chriſti *milleſimo*, *ſexcenteſimo*, *vigeſimo ſecundo*.

X. Non tamen intrà hos ſolos limites imperatoriæ ſeſe indignationis flamma continuit. Præcepit enim idem ille *Xogúnus-Iunior*; ut *Gonróeus* eodem *ignis* ſupplicio *viventes ſpirantéſque* conſumeret, & in favillas redigeret, *Sacerdotes* omnes, ac *Religioſos*, totâ paſſim Iaponiâ ſparſos ac repertos. Quin, eos quoque, qui *Religioſos* viros *hoſpitio*, vel tunc, vel quondam, (à tempore pri-

Digitized by Google

re primæ exterminationis eorum peremptoriæ) ſuſcepiſſent; ſine diſcrimine, ſupplicio publico, de medio tolleret: ſive *viri* forent hi, ſive *ſexûs alterius* mortales; & quidem ætatis cujuſcunque. Quorum proinde numero comprehendi volebat *nominatim*, etiam relictas eorum *Viduas* ac *pupillos*, qui jam ante *triennium*, ob *Fidem* illic *Chriſtianam & orthodoxam*, aut ob *hoſpitia* Religioſis exhibita, fuiſſent (ut ſanè nonnulli fuerunt) interfecti. *Ecce! quantus ignis*, (delationis & calumniæ Calvinianæ apud Regem) *quàm magnam ſylvam* (Japonicæ Chriſtianitatis) *incendit! Et lingua* (ſtimulatrix perſecutionum) *Ignis eſt*, *Vniverſitas iniquitatis*. (X.)

XI. Hôc *Imperatoris* accepto mandato præcipiti, *Gonrócus*, Gubernator ſeu *Prætor* Nangaſaquienſis, (*Safyou* illius, cujus in *Protaſio* ſuperiùs mentiò non parca facta eſt, *Nepos*) confeſtim in urbe ſuæ juriſdictionis comprehendit *triginta* utriuſque ſexûs, ac diverſæ admodum ætatis, *Chriſtianos*, anno eodem *milleſimo*, *ſexcenteſimo*, *vigeſimo ſecundo*: indagatore proditoréque (ut ferè fieri ſolet) *Apoſtatâ* quodam, novo *Iudâ*: qui eos, *die Septembris nono*, ſeu poſtridie Beatiſſimæ Virginis *Natæ* (quem annus ille, *Feriam ſextam*, ſeu, *Veneris*, habuerat) multis cum ſannis contumeliíſque, tribunali Gubernatoris ſtitit. Ibi, in cauſſa Fidei Catholico-Chriſtianæ interrogati, examinati, faſsi, fruſtráque ad defectionem ſollicitati, conſtantiſſimi omnes *Triginta* perſtiterunt: &, in cauſſa *Religionis* ac *Fidei*, mortis & capitis damnati, carcerem, lætiſſimis animis atque vultibus, ſunt ingreſſi: unâ inſuper, de numero *matronarum* (quod ſtupeas) cum *Vexillo* ſacro, quod

Apoſtatæ Iapones.

manu in ſublime vibrabat, inter pſalmorum alternatos cantus & choros, præcedente; cæteris autem *viginti novem*, ſingulis cum *crucibus*, inſecutis; ac, quæ ex illis *matres* erant, *parvulos* ſuos inter brachia geſtantibus, & cœlum versùs leniter hilaritérque, velut Chriſtianum per triumphum, quaſſantibus.

XII. Erant autem eodem tempore, in urbe *Omurana*, jam olim, diuturno in carcere, *Religioſi* multi, *quatuor* cum Sæcularibus neophytis: qui Religioſos, partim *illos*, partim & *alios*, pro Chriſti amore, ſuis laribus & hoſpitio, piè quondam ſuſceperant. Hos *quatuor* Sæculares (*Tres* putà *Viros*, & *matronam unam*, ſejunctim, extra Religioſorum cuſtodiam, incluſos) una cum diverſorum *Ordinum* viris *viginti quatuor* (uti ſignatè Hieronymus Majorica numerat) eodem illo *Septembris nono* die, (qui, velut dixi, *Veneris* tunc erat) avocari *Omuranâ* è cuſtodia & urbe *Nangaſaquium* ad ſe imperavit Prætor *Gonrócus*; ut poſterâ luce *Sabbatinâ* ſibi præſtò forent. Injiciuntur ergo ſingulis ad collum *funes*; nonnullis autem & *catena*: atque ab *quadringentis* ſtipatoribus, *Omurano* è carcere, *Nangaſaquium* deduci incipiunt. Neque tamen eo die, niſi ad locum, *uno* adhuc *milliari* ab *Nangaſaquio* urbe diſſitum, vincti pervenerunt: utpote nocte, & ingenti repentè pluviâ, oppreſſi.

XIII. Jam intendere Charitatem Veſtram cupio, ad, id, quod internarrabo (priuſquam *Nangaſaquium* perveniamus) veluti ad rem; ex qua pendebit intelligentia clarior *occaſionis* illius, & *cauſſa*, ob quam non Omnes hi pro Chriſto vincti, ad finem uſque ſibi conſtiterunt, ac *perſeverârunt.*

Apoſtatæ Iapones.

runt. Ducebantur pariter (velut memorare ſum orſus) *quadringentis* à militibus barbaris, & ſuo cujuſque *lictore*, ponè latus incedente, eorum, qui *Omurâ* fuerant evocati, omnino *viginti octo*: è diverſo videlicet carcere, *Viri* ſæçulares *tres*, ac *matrona una.* ex alia verò cuſtodia, *trium* Ordinum diverſorum Religioſi *viginti quatuor* (*Y.*): in quibus, ordinis Sancti *Dominici* Veterani octo: *recèns* Ordini adſcripti, *duo*, ac, ſuper hos, *unus*, *tertia* (quam vocant) *Regulæ.* (*Z.*) *Ordinis* autem Divi *Franciſci*, captivi *quatuor.* Societatis denique JESU, *novem.* Cæterùm ante omnes hos, loco ſemper *primo* ducebatur ab Idololatris, in odium *Societatis* (ut, quæ Chriſtianitatem omnium prima, per Sanctum *Xaverium*, invexiſſet in Japonas) *Pater Carolus Spinola*, de gente familiáque Spinolarum *Marchionum* notiſſimus, progenie natus *Comitum Taſſaraliorum*, patriâ *Genuenſis*; Vir, omnino religioſiſſimus: *annos* Vitæ, *quinquaginta octo*; Religionis, *triginta*; Japonicæ *Vineæ* cultæ, *Viginti* tunc, numerans. In *Carcere* verò *Omurano*, (ſanè quàm diriſſimo, inhumaniſſimóque, nec facilè verbis, niſi horridis, & per Iliada miſeriarum diffundendis, explicabilis) *annum* jam *quartum* exegerat; ſuis ex eo datis epiſtolis (etiam in Europam) orbi notus.

XIV. Hic, Vir talis, priuſquam eo, quem dixi, *Septembris nono* die, vinculis ac ſeptis *Omurani* carceris penitùs emigraret, ac pedem ſupremum efferret; *amarum flere* cœpit, ac vaticinari; *Viginti* quidem *octo* tunc *ſimul ad arenam properare certaminis Fidei glorioſam. Caterùm*, (*ſicuti Quadraginta Sebaſtenis accidiſſet Martyribus*) *non Omnes ex eo numero Coronam ſuſce-*

Apoſtatæ Iapones.

pturos è manibus Angelorum. Hæc tum *Carolus* prædixit. In *Via* deinde universâ, quæ fuit *Omura* Nangaſaquium versùs, cùm paſſim eis, & agminatim, Chriſtiani occurſarent, conſalutarent, lætis vocibus adgratularentur, eorum pedes & veſtigia quoque (tanquam mox futurorum Chriſti teſtium) devenerarentur: identidem tamen *Carolus* iſthæc repetebat, & inculcabat, verba, *Vehementer* (ajebat) *angor animo, &, prôh dolor! vereor, ne noſtrum aliqui fœdo ſuo caſu feſta lucis hujus* (quæ *Sabbato* illis poſtridiano, per *martyrii* conſummationem, inſtabat) *lætitiam corrumpant.* Et undénam iſte *Patris Caroli* metus tam ominoſus & triſtis, dilectiſſimi? Dicam; neque diſſimulabo: ídque, propter eos etiam homines, qui ſubinde talibus ſimillimi ſunt; etiam in ea vitæ conditione ac ſtatu, in quo, eos eſſe tales, omnium minimè conveniens eſt.

XV. In carcere, quem dixi. *Omurano*, perſonæ *tres* erant, quæ & ipſæ poſtea, reliquis cum vinctis. Nangaſaquium deductæ ſunt, in comitatu conſortióque *P. Caroli.* Ex his *duæ* inprimis, *agebant* in diuturna illa captivitate, *neſcio quid*, & frequenter quidem, vel potiùs aſſiduò; contrà cæterorum omnium morem atque conſuetudinem, necnon cum offenſione *Charitatis fraternæ*, inter *Fidei* ſuæ conſortes: ac fortaſſis etiam Cuſtodum ethnicorum *ſcandalo.* Quia verò *Res* illa ſeu *factum* (tametſi, cujuſmodi illud fuerit, ſignatè perſcriptum à nemine ſit; & diſertè *Fabius* neget, ſe comperiſſe) verbis tamen expreſſiſſimis proditur fuiſſe GRAVE (nequis fortè ſuſpicaretur, nullum in eo fuiſſe *Peccati Mortalis* periculum); *ut emendarent* hoc tantum *offendiculum*, ac de-

ac deinceps illud penitùs intermitterent, admoniti ſunt: & admoniti, ſine dubio, ab iis, quibus in illos jus aliquod, & magiſterii auctoritas, ineſſet. Nihil tamen dehortatio profecit. Nam, pro correctione, quam præſtare debuerant, *Aſperos* ſe inſuper & *valde pertinaces*, præbuerunt; NOLENTES (ut verbis utar Hiſtorici) *morem gerere*: more *cervicoſorum* (quos vocamus), & *capitoſorum*, quibus omne *iudicium Suum* pro *Deo* & *Idolo* eſt: cæteri illis omnes deliri dementéſque ſunt. Hoc ut & *P. Carolus* animadvertit; tametſi hominum illorum Trium *Superior* non erat, ſed eorum tantummodo concaptivorum, qui de *Societatis IESV* corpore erant: memor tamen legis Chriſtianæ-Charitatis, quâ (ſicut ſcriptum eſt) *mandavit Deus unicuique de proximo ſuo*; ex inſtituto tandem aggreſſus eos, monuit, obteſtatus eſt, obſecravit: uti, quoniam tam vicini eſſent palmæ *Martyrii*, quo tempore modis & conatibus omnibus Divina ſit ipſis clementia demerenda ac propitianda, déque cœlo robur comparandum; tandem obtemperare, in animum inducerent, & obſequi bonis monitoribus, in eo, in quo (pro eo potiſſimùm tempore *tentationis*, & imminentis mortis) *obligarentur in conſcientia*: nec deinceps, in offendenda captivorum totâ communitate, ſui ſolius commodi conſectandi cauſsâ, *Spiritus Dei Sanctum, in quo ſignati eſſent, contriſtarent.* (*BB.*) Cùm autem illi, ne ſic quidem, ac tanto monitore, ſubmitterent animos tumentes: *ex nomine Omnipotentis Dei*, comminatus eſt eis tandem *Carolus*, SEVERAM, *& omni mundo palàm futuram, Numinis* VINDICTAM. Quæ ipſa *P. Caroli* verbi, cùm tunc audiret, fixéque animo impri-

imprimeret, quidam è cuſtodibus *Omurani* carceris: is poſtmodum cæteris (vaticinio jam impleto) cum admiratione laudéque *Patris*, (quanquam idololatra) enarravit. Etſi verò minas has *Pater* tunc fulminaret; nec ſic tamen obſtinatorum animoſitatem compreſſit.

XVI. Hoc loco, vel paululum quid in *aſceſi Spiritûque* verſatis, facilè ſuccurret animo; Perſonarum harum, ſive *Trium*, ſive *Duarum* ſaltem, *geminum* eſſe potuiſſe *Peccatum Mortiferum*. *Alterum* quidem, in perpetranda re GRAVI, quâ cæteri omnes *vehementer offenderentur*, ac Scandalum haurirent: ídque *non purè* (ut loquitur) *Paſſivum*; ſed prorſus ac *planè Activum*, eorúmque duntaxat *culpâ* natum. Eſt autem ſcriptum de talibus; *VÆ homini illi, per quem Scandalum venit*! Et Sanctus *Bernardus* clamat, divinis è Scripturis (ut alio jam die produximus) *VÆ homini illi, per quem VNITATIS Vinculum iucundum turbatur! Iudicium profectò portabit, quicunque eſt ille.* (CC.) Peccatum igitur *Vnum*, idque *Mortiferum*, eſſe potuit, in lædenda Charitate; diſſolvendâ fratrum Unitate; præbendóque, circa rem GRAVIS momenti, Scandalo. *Peccatum* autem *lethale* potuit *Alterum* eſſe, ac (ne dubita) fuit, in Pertinacia, Aſperitate, Superbia, Contumaciâ, Contemptúque; adversùs ſalutaria monentes ac *iubentes*: non illos tantùm, inquam, qui monendi *iubendique ius*, tanquam *Superiores* illorum, obtinebant; ſed adversùm eos quoque, qui ex *Charitate* etiam, in re tam GRAVI, Scandalíque plenâ, *benignè* eos adhortabantur: eíſque, ex nomine Dei, pœnam ac vindictam atrocem denuntiabant. quæ tamen ipſi cuncta, duritie

Digitized by Google

duritie cordis, pluſquam adamantinâ, reſpuebant. Quod, *Peccatum* eſſe *Grave*, parvuli quoque nôrunt, è *Doctrina Chriſtiana*: cum inter *Peccata* cætera, quæ dicuntur, *In Spiritum Sanctum*, & iſtud in templis recitant; *Adversùs ſalutares Admonitiones obſtinatum cor gerere.* Eccleſiaſticus autem, *Durorum* ejuſmodi capitum *cordiúmque pœnas*, (quamvis hæ non ſemper in puncto temporis, quo peccant, appareant) non tamen emanſuras, apertiſſimè denuntiat, dum; COR DURUM (inquit) *malè habebit, in Noviſſimo.* (*DD.*) Idem & alibi (*EE.*); *Iracundia* (inquit) *animoſitatis* (*FF.*) *illius, SUBVERSIO eius eſt.* Et tamen volebant hi fieri, *Chriſti Martyres*?

XVII. Quod totum (per Deum rogo) diligenter expendant, mortales quidam, his *contumacibus* ſimilimi; qui ſibi tamen videntur *Devoti* ſubinde *Devotaq;*, & *Specula Sanctitatis*. Attendant, inquam; quàm miſerè Diabolus eorum corda tranſversùm agat; dum vel UNICUM *Peccatum Mortiferum* nolunt exuere: exempli gratiâ, *Odium* fraternum; *Singularitatem* publicè ſcandaloſam; *Capitoſitatem* cervicoſam; *Boni Conſilii*, circa ea, ad quæ præcepto adſtringuntur, (ídque ſub peccato *mortali*, vel *periculo* peccati *mortalis* proximo) contumax repudium, & *Contemptum*. Et hi tamen, ejuſmodi cùm ſint, *altiores* adhuc ſibi cæteris pleriſque, in *Sanctitate*, videntur: aſpernantur alios, tanquam *parùm* admodum *Spirituales*: eoſdem quoque, de *Spiritûs ſiccitate & inopiâ*, palàm arguere ſuſtinent; cùm ipſiſſimi profectò miſeris omnibus miſeriores, & diſſolutis cunctis diſſolutiores, laxioréſque ſint: dum *Peccatum* illud ſuum, ſané GRAVE, vel pro Peccato prorſus

prorſus non habent (audaciſſimi ſcilicet ſuimet *Exemptores* à communi lege, & à peccato *Abſolutores*): vel, ſi *Peccatum* eſſe credunt, ad pœnas & vindictam *dormire* Deum ſibi fingunt, qui tamen *excitatus* tandem aliquando, *tanquam dormiens* (GG.) puniet; ſed, *tempore ſibi noto* & opportuno, modíſque ſibi compertis & idoneis: quemadmodum & Moyſi quondam dixit; *Qui peccaverit mihi*, DELIBO EUM DE LIBRO MEO. &; *Ego autem*, IN DIE VISITATIONIS & HOC *peccatum eorum viſitabo.* (*HH.*) In quo potiſſimùm, unde ſibi caveant, habent pertinaces, ſuperbi judicij, ſui æſtimatores nimii, & *peccatorum gravium* ſe periculis præfidenter committentes, ex arroganti immodicáque ſui fiduciâ, ac præſumptione, de virtutis ſuæ inexpugnabili conſtantiâ. denique, bonarum omnium admonitionum *contemptores*, multóque maximè ii, qui, poſt ſalutaria ſibi admota conſiliâ & hortamenta, tunc primùm, omni datâ operâ ſtudióque, proterviùs in eo ipſo delicto, à quo deterriti ſunt, pergunt & proficiunt: & hoc, *Irritandi ſui Monitoris* cauſsâ. Hæc enim, hæc potiſſima fuit *Eſavi* ruina: quòd hic, *probans*, (id eſt, manifeſtè deprehendens) *quòd non libenter aſpiceret Pater eius*, Iſaac, *filias Chanaan*, quarum duas ipſe jam duxerat, *quæ ambæ offenderant animum patris ac matris*; tamen *iverit* inſuper *ad Iſmaëlem*, & *duxerit uxorem, abſque iis, quas habebat*, tertiam, *Mahelethan.* (*II.*) Qui, teſte divo Paulo, *non invénit poſtea Pœnitentiæ locum; quanquam cum lacrymis inquiſiſſet eam.* (*KK.*) Sic *Abner*, ab Iſboſétho rege ſuo admonitus, placidéque increpitus, ſuper ingreſſu ad concubinam Regis Saulis, patris

patris ſui, cùm reprehenſiunculam illam ægerrimè tuliſſet, iracundiſſiméque: non ità multò pòſt, in pœnam *Incontinentiæ* ſimul & *Obſtinationis*, percuſſus & occiſſus eſt, eâ ipſa, corporis in parte, quâ peccaverat: & hoc, improvisâ repentináque cæde. (*LL.*) Sic *Pilatus*, Judææ *Procurator* Cæſareus, ſalubriter ab *uxore* ſua *Procula*, per internuntium, ſubmonitus, ut deſiſteret ab injuſto adversùs Chriſtum judicio (ſicut hodierna nobis, Dominicæ *Paſſionis* ſecundùm *Matthæum*, hiſtoria retulit): cùm nihiloſecius ſpreviſſet conſilium illud; à Deo deſertus eſt, eouſque, ut ſemetipſum tandem ſuápte manu de medio tolleret. (*MM.*) Sic *Sapritius* presbyter, *Nicephoro*, civi *Antiocheno*, infenſus offensúsque, cùm (enixè licèt, ac per omnia Sacra, rogatus) in ipſo, quô trahebatur ad *martyrium*, itinere, articulóque, pertinaciter renuiſſet ignoſcere: ſub noviſſimo vibrati jam gladii diſtrictu, Numinis juſto judicio, defecit à *Fide*; Chriſtum ejuravit: ac pro eo *Nicephorus* enſem, martyrium, & palmam, excepit. (*NN.*) Sic *Iulianus* denique [quis enim finis eſſet omnium numerandorum?] *Iulianus*, inquam, *Galli* Cæſaris frater, crebrò licèt ac ſeriò demonitus, à *Conſtantio* Auguſto, *patruo* ſuo *maiore*: cùm tamen conſortio, neque *Mardonii* quondam, Scythæ; neque poſtea *Libanii*, Sophiſtæ; neque *Maximi* Epheſii, Philoſophi gentilis ac magi; neque *Iamblichi*, *Ædeſii*, aliorúmque paganorum & peſtilentium virorum, ſeſe abſtraheret: ab iis ipſe ſenſim abſtractus, ac lentè corruptus, *Perſeverantiâ* tandem, & profeſſione cœptâ, & *Fide* Chriſtianâ, & Cœlo *Salutéque*, per ſummam *Apoſtaſiam*, eámque *Finalem*, excidit, atque periit. [OO.] Idipſum

Apoſtatæ Iapones.

ipſum omnibus tandem contingere poteſt iis, qui nunc, tam has, quàm alias aliorum, melioris vitæ frugem, exhortationes concionéſque, vel audientes ipſi, vel, relatas ab aliis, percipientes, per inſignem impietatem eas conculcant: & adhuc, in] contemptum *Verbi ſacri*, ſeſe proteſtantur, impenſiùs deinceps ſceleribus ſuis, ac peſſimis cupiditatibus, indulturos: anno toto, quin & ætate vitáque universâ, Templa Sermonéſque ſacros, tanquam infamem quandam domum, & Feſcenninos, fugientes: cauponas è diverſo, & luſtra, & infamia quælibet diverticula, tanquam ædem ſanctam, ac baſilicas, & myſteria, frequentantes. Quorum vos hominum, notam habentes *Impietatem Vitæ*, digitóque demonſtrantes Dei & divinorum neglectum; quæſo, *exitum* quoque aliquando *Vitæ* contemplamini. *Quid* enim? quid fiet his? MALOS MALE PERDET! [*PP.*] Sed nos *in ſemitam* redeamus.

XVIII. Cùm igitur *gemino* Peccato GRAVI, *duæ* hæ, vel *Tres*, quas dixi, perſonæ in carcere *Omurano* ſemet illigâſſent [quas tunc decuit oportuítque, omnibus potiùs diruptis peccaminoſis actibus & habitibus, per omnium generum actus ſanctiſſimos, gloriæ ſeſe *martyrii* præparare; nec torpere]: geminum quoque, immò tergeminum [etiam adhuc in hac vita] Pœnæ genus incurrerunt; à quibus eos nulla, quantælibet Conſtantiæ heroicæ, vel Exempla quiverunt, vel Hortamenta, retrahere: veluti ſequentia nobis in propatulo conſtituent. Ad *Hiſtroiam* quippe, quam cum captivis, nocte pluviáque oppreſſis in via, reliqueramus, plano pede regredimur.

XIX. Diluculo diei ſubſequentis *Sabbatinæ*, jam

jam terris reddito; *decimaque* Septembris inchoatâ *luce* (quæ Divo *Nicolao Tolentinati* ſollemnis erat) exiguum admodum, ídque noviſſimum, jentaculum poſteaquam *Vinctis* Chriſti confeſſoribus præbitum eſſet: è loco illo, in quo pernoctaverant (*Vracamâ* nomine) grogrediuntur, eódem, quo pridie, ordine; præcedente P. *Carolo Spinolâ*: qui expetierat, ad efficaciorem omnium animationem, in Veſte *candida*, Vexillóque nominis JESU manu prælato, pompam ducere. Sed à barbaris ei negatum utrumque eſt; ac pro *alba*, contra mentem, ei veſtis, more Japonum nobiliorum, *Serica nigri* coloris injecta. Nec tamen, divino munere, defuêre Chriſti Servis *ſtimuli* ad Conſtantiam alii complures; nequis eorum *deficiendi* cauſſam (niſi ex ſeipſo, ſuatéque culpâ) haberet. *Patris* inprimis *Caroli*, aliorúmque, continuæ fervidæque, ad mortem pro Chriſto fortiter oppetendam, cohortationes, omnibus ac ſingulis, præſtò erant. Nuncius deinde, eodem tempore appulſus felix (cùm hucuſque de mortis genere dubii fuiſſent): pro Domino JESU *vivos arſuros.* Chriſtianorum præterea ſexûs utriuſque, ab omni undique loco, concurſus occurſúſque, & ad eornm latera fidus inceſſus, gementium, flentium, ſanctas & ſupremas, ante mortem, inſtructiones petentium; dulciſſimúmque eis *Vale* dicentium. Adhæc, ſpes & exſpectatio, conſummandi mox curſûs ſui, conſpectúſque jam eminus illius loci ac ſtadii, in quo pro *Fide* decertaturi forent. ejuſdem quoque tandem, poſt unicum itineris confecti milliare, beata meta. *Locus* autem ille ſupplicii, campúſque *martyrii* futuri, inter urbem erat *Nangaſaquium*, & *Vracámam* (de

Apoſtatæ Iapones.

qua modò dictum eſt) ſed *Nangaſaquio* tamen propinquiſſimus. Et in campo, jam illos *Columnæ* ſeu pali *viginti quinque*, unà cum circumpoſitis undequaque lignis, ac flammarum pabulo, præſtolabantur. Cauſſa verò *numeri* Columnarum *minoris*, quàm Vinctorum, erat: quoniam è numero captivorum, *Omurâ* attactorum, *Tres*, decapitandi duntaxat, non exurendi, erant.

XX. Cùm autem illuc perveniſſent; videbant planitiem jam dudum univerſam illam, fidelium pariter & infidelium, innumerabili multitudine refertam. Et certè *Chriſtianorum*, conſtat, ſolorum *triginta* minimùm fuiſſe *millia* (QQ.): quippe, quos, ad incutiendum, ex aſpectu ſupplicii, terrorem, edicto Gebernator *Gonrôcus* eſſe præſtò juſſerat. *Idololatrarum* autem, ex omnibus Japoniæ regnis, eminus cominúſque, confluentium, facilè *deculpo* ſaltem *plures* adfuiſſe, nemo jurè dubitaverit. *Duo* præterea adſtabant armatorum *exercitus*, ob metum, & compreſſionem omnis fortuiti tumultûs: *alter* quidem, ſuprà; *alter* autem infra *Supplicii* regionem. Videlicet, ingens rurſus & iſtud erat Heroicæ fortitudinis, ad perferendas flammas, incitamentum: tam immenſa Spectatorum, &, in his, Fedelium, *multitudo*.

XXI. Loci (*RR.*) conſtitutionem (quæ ad docilitatem auditorum plurimùm confert) ſiquis veſtrum, dilectiſſimi, hîc exſpectat; deſcribere modo quodam poſſumus; ſi animo fingamus, reſectis arboribus omnibus & obſtaculis, univerſum hoc oppidi noſtri pratum, quod cis Danubium procumbit, à ſuperiore Dilinga (ſeu Divo Martino) ad uſque Nemoris illius initium, quod *Paradiſi ſylvulam* appellamus: ſic, ut exercitus barba-

barbarorum alter ſteterit à parte collis *Divi Martini*, ad Danubium uſque porrectus: alter verò, infra viam regiam (quæ ad pontem ducit Iſtri, ſeu, *Auguſtam Vindelicorum* versùs) ad ſylvam uſque ſuburbanam, Orientalem, extenſus. *Danubius* porrò, *brachium* vobis ſit *maris*, quod *Nangaſaquium* alluit. at *Dilinga*, quamvis *modica*, nobis *grande* ſit Nangaſaquium: ſed videlicet, à *leprodochio* demum incipiens, & ad *Septentrionalem* agrorum ſitum, longè latéque excurrens. Montes porrò, qui prato *cis-Danubiano* ab Septentrione imminent, manerent illi quidem; ſed, (abſque hortis, & brachio Iſtri, ſubterluente montes) vacua omnia, cunctáque ſicca. Jam verò in prato, propiùs montem (ſed *tamen obliquo* tractu) *columnæ* ſurgerent illæ *Viginti quinque*, per ſeriem: initio ducto, paullò ſuprà *Principis-hortum*: ſic, ut ultimæ *columnæ* ſeſe conſumerent, ac finirentur ad *ſacelli aulici* (quod Divi *Vdalrici* eſt) pedem, ſive, collis radices. Spatium porrò reliquum univerſum è regione, ad Auſtrum, & infrà ſupráque, longè latèque *ſpectatoribus*, unà cum altitudine montana Septentrionali, repleretur: ità tamen, ut qui *in medio* locus eſt *Supplicii*, limitibus ſive metis ligneis includeretur univerſus, ad turbas irrupturas arcendas, & excludendas. Hæc, quæ, proportione ſuâ prorſus ità ſe Nangaſaquii habuerunt; ad captum uniuſcujuſque præſentium, monenda, memoriæque *Charitatis Veſtræ* imprimenda, cenſui. Nunc autem, ad Chriſti pugiles *Iaponicos* intentiſſimis animis recurramus.

XXII. Jam intrà *pugnæ locum* ac ſpatium omnes, ignibus deſtinatæ *victimæ* venerant: *Chri-*

ſti, inquam, *milites Viginti quinque*, Omurâ adducti (nam *Trem* reliquis, de numero pleno *vicenum octo*, ad *gladium* erant ſegregati:) cùm primùm omnium ii, qui *Sacerdotes* erant, præeunte P. *Carolo*; Sacerdotum deinde exemplo, cæteri quoque, ſacrorum ordinum expertes, in genua ſeſe provolvunt: tenerriméque ſuam quiſque *Columnam*, ad quam mox eſſent religandi, ſalutant, amplectuntur, exoſculantur. *Bonum factum*! *bonum* pugnæ *principium*! ſi cætera pariter, apud omnes, deinceps quoque ſucceſſiſſent. Et certè, hoc quoque *novum* rurſus, retinendæ *Conſtantiæ*, calcar erat, & *hortamentum*. Cuj mox vivacius *aliud*, & præcedentibus multò penetrantius, acceſſit. In hæc quippe devotionis officia effuſis *Chriſti* futuris *propugnatoribus*; en, ex urbe *Nangaſaquiana* repentè *Triginta* ſuperveniunt illi, quos, ab *Apoſtata* quodam proditos, &, à Prætore *Gonróco* pridie comprehenſos, ſuprà jam memoraveram. In horum *triginta* numero, Pueruli erant *ſeptem*: Viduæ, *undecim*: matronæ conjugatæ *duæ*, cæteri, Virilis ſexûs & ætatis. Hi omnes, cultiſſimis (tanquam ad nuptias, aut Sollemne feſtum) induti Veſtibus (*SS.*), intrà cancellos ligneos areæ, ſeu campi, ſupplicio concremandorum deſtinati, vinctis manibus, deducti ſunt: ſic, ut *duo* jam eſſent diverſa *Chriſti-Teſtium* agmina; numerúmque univerſim conficerent, *Quinquaginta Quinque* capitum. Qui, *de montibus*, Nangaſaquio vicinis, utrimque *deſcendentes*, Jeroſolymitanam repræſentabant *hodiernæ* lucis *turbam*: de quâ Divus Lucas (*TT.*); *Cœperunt*, inquit, *omnes turba* DESCENTENTIVM (&, *palmarum ramos* in manibus geſtantium) *laudare Deum*, *voce magnâ*.

Eſt iſt-

Apoſtatæ Iapones.

Et iſthæc *duo* agmina, hinc quidem eorum, qui *Omurâ* paullò antè venerant, illinc autem *triginta, Nangaſaquio* recèns ſupervenientium; *Martyrii* ſui PALMAS, *in manibus* (quantum ad votum illorum, ac deſiderium, attinebat) jamjam portabant; interque ſeſe, lætis ſonori conſalutationibus. DEUM Cœli, *Palmarum aſſignatorem*, hilares celebrabant. Cum his autem jungebant, ex alia parte, extra cancellos, vota ſua vocéſque gratulatorias, (non ſine dulciſſimis lacrymis) *Chriſtianorum* illa, foris circumſtantium, *triginta millia*. Quantus, bone Deus! quantus tunc in *cœlum* ibat lætitiæ mutuæ ſonitus? Quot lacrymarum liquida pietas *terram* illam & campum irrorabat? Ingens profectò, longéque ſpecioſiſſimum, erat & iſtud, *Fortitudinis* inter ſupplicia retinendæ, *illectamentum*. Ac *Triginta* quidem illi, intrà *metas*, ut dixi, *ligneas* introducti, *ſtare* tantiſper, ac, ſuam quiſque præſtolari mortem, ſunt juſſi; quam à *gladio* paullò pòſt erant excepturi. Eam illi ſtationem, ſicut imperatum erat, obſequentibus animis ac pedibus præſtiterunt, è regione, & in oculis illorum, qui *flammis* erant adjudicati. Hi autem, mox *uſtulandi*, ſuas quiſque ad *Columnas*, quæ pro numero capitum (ut antè jam monui) Viginti quinque erant, colligari ſunt cœpti; longam, & *obliquatam*, in ſeriem; ſed, *vinculis* (quod quis, cauſſarum ignarus, meritò miretur) *laxis*, ac facillimè ſolubilibus; quò ſcilicet, ſi qui, doloris & flammarum impatientiâ, mortem cuperent præſentem effugere, *Chriſtique Fidem* ejurare, ſine magna mole ſeſe poſſent enodare, ac transfugere. Hi LAQUEI VENANTIUM erant (*VV.*): *Venantium*, inquam, animas,

Apoſtatæ Iapones.

Digitized by Google

animas, in Interitum. Qui tamen, *Prædeſtinatis* illæſis, *pluent ſuper Peccatores* Reprobandos; quos, è Davidis Vaticinio, manet *Laqueus*, *& ignis*, *& ſulphur*, *& Spiritus procellarum*: eò, quòd *Iuſtus ſit Dominus*, *& Iuſtitiam dilexerit*. (*XX.*) Cæterùm in hoc *Deligationis* ad *Columnas* negotio, ſervatus eſt *ordo* quidam, ſilentiô non penitùs prætereundus; propterea, quòd *Providentiæ* cujuſdam *divinæ* ſingularis in eo, manifeſtiſſimáque, dextera reluxerit. Quod ipſum vos, quæſo, paucis audite; & in animos veſtros profundè demittitote.

XXIII. Erat, (ſicut principiò ferè Narrationis hujus dicere inſtitueram) inter *Vinctos-pro-Chriſto* cæteros, etiam *Matrona* quædam adducta, *Nangaſaquianam* ad ſupplicii *aream*; eò, quòd hæc, adverſus *Xoguni*, Japonum *Imperatoris*, edictum, amore JESU Chriſti *Patres* quoſdam Evangelii diſſeminatores, hoſpitio ſuo recepiſſet. Eam unicam ob cauſam adjudicata flammis & ipſa fuerat. nomen ei, LUCIÆ DE FREYTES (*YY.*): erátque hæc, quantum ex nomenclaturæ more conjectare licet, generis ortu *nobili*. Japonenſem autem fuiſſe, Scriptores conſenſu tradunt. Hæc igitur LUCIA, toto, quo raptabatur ad mortem itinere, (quin & antehac) inprimis autem, intrà ipſum denique ſupplicii futuri ſtadium & *arenam*, à Deo votis quàm ardentiſſimis expetierat: uti priùs, quàm pro *Chriſto* exureretur, *Confeſſioni Sacramentalis* beneficio ſuam liceret animam exonerare; propterea, quòd optimæ viraginis conſcientiam *delictum*, neſcio quod, *gravaret*. Id animæ ſuæ remedium, cùm in *via Omuraná*, propter *lictores*, aſſiduò, tam ſuo, quàm Sacer-

Apoſtatæ Iapones.

Sacerdotum láteri, adhærentes, adipiſci nullâ ratione potuiſſet: oravit efflictim Divinam pietatem; *uti iuxta Patris alicuius, ſeu Sacerdotis, & abſolvendi poteſtate præditi, latus, columnam ipſa ſuam*, ac ſtationis ſitum, in ſerie comburendorum, *ſortiretur*. Audiit eam, ac voti compotem effecit, clementiſſimus Deus: eóque ſic rem diſponente, *carnifices*, deſiderii iſtius Matronæ penitùs licèt ignari, deligandorum ad palos hunc ordinem inſtituerunt: ut locis primis (finge tibi mente nunc, initium *Principalis horti*, Occidentem versùs) tres *viri* Japones, (*Antonii* videlicet *duo*, ac *Paulus* unus,) loco autem quarto, *Domina* LUCIA, continuò ſtatueretur: Poſt *Luciam* verò, ab læva mulieris, illico P. *Carolus Spinola*, deincépſque mixtim cæteri: donec omnium *viginti quinque* capitum corporúmque, flammis deſtinatorum, numerus abſolveretur. Hic igitur, adoratâ ſuum apud animum *divinâ Providentiâ*, non diſtulit uti *Confeſſionis* occaſione quàm electiſſimâ, devota hæc mulier: &, quoniam, invervallo nequaquam adeò longo, ſingulorum inter ſe *Columnæ* diſtarent; lictoréſque, deligatione finitâ, jam receſſerant, ſic, ut *colloquii vocalioris*, extra aures arbitrorum, commoda jam daretur oportunitas: *piè contritéque confeſſa* LUCIA, de columna, ad quam religata ſtabat, à *Patre Carolo* (& ipſo jam ad palum ſuum conſtricto) *audita, abſolutáque* eſt, ingenti ſuo ſolatio.

XXIV. *Quid?* (inquis) *Non ſuffecerat huic* LUCIÆ, *pro Chriſto paullò pòſt incendi vivam*, & in favillas redigi? *Vſquéne* adeò *Cofeſſionis erat opus onere, ut non ſuppleretur iſtud, à tam atroci martyrio?* Reſpondeo tibi (quiſquis hæc interjicis)

jicis) & reſpondeo, *quod res eſt*, brevitate ſummâ. Si, *Venialia* dundaxat errata circumferre ſe, LUCIA hæc in conſcientia ſua deprehenderat: haud dubiè non obligabatur ad *exomologéſin*; tametſi valde *utiliter* eam optaret, & adhuc *utiliùs* uſurparet. Si autem *Mortifero* ſe reperiebat *delicto* premi, ſive *recèns* tunc commiſſo, ſive *veteri* quodam (quod noſtrum nemo ſcit, an gravatam ſeſe ſenſerit) imò, ſi & *Dubiâ* peccati *Lethiferi Conſcientiâ* morderetur, ſic, ut nullo modo ſe indè expediret: ambigere non debes, *Eam obligatam ad* peragendam *Confeſſionem* fuiſſe (ſi modò illius obeundæ copia fuerit, citrà *Fidei* & *Conſtantiæ* præjudicium, apud *Infideles*) etiam ante *martyrium*. Quæ *Reſponſio*, ſaltem analogicè, poteſt & ex illa Divi Pauli ſententia rationis ſuæ lucem accipere, quâ is dicit; *Si tradidero Corpus meum, ità ut* ARDEAM: *Charitatem autem* (quæ, ſi *Charitas* eſt, Chriſtúmque revera ex animo diligit; neceſſariò etiam *mandata Chriſti ſervat*: conſequenter & *Mandatum* ejus, *De Peccatorum Mortalium* humili *Confeſſione*; cujus obligatio, *Præcepti* eſt *Divini*, & non humani tantùm, atque Eccleſiaſtici) Si hanc, inquit, *Charitatis* Virtutem *non habuero*, *nihil mihi prodeſt*: ne COMBUSTIO quidem; quam imaginarer ego mihi *pro Chriſto* me ſuſtinere. (*ZZ.*)

XXV. Quapropter, partim *exemplo* devotiſſimæ hujus *Heroinæ*; partim, & multò magìs, *doctrinæ* iſtius *veritate* conſtrictæ, paveant, jam non *Puellæ* modò (quas ad ſalutarem conſternationem, in *Catharina* nuper *Peruana*, ſtimulavimus) ſed frequenter etiam *Coniugatæ Viduæque*: nec non & alii omnes, quicunque, in hoc pūncto, de *Neceſ-*

ſitate

Apoſtatæ Iapones.

ſitate confitendorum lethalium peccatorum, ſeipſos, & non Deum aut Sacerdotem, miſerrimam in fraudem inducunt; quoties hi tales videlicet, per alia quævis Opera *Charitatis*, & *Aſperitatis in corpore*, ſupplere fatuè conantur *accuſandi-ſui-pudorem* ac difficultatem. Et tamen, prætermiſſâ Sceleris occulti *detectione Sacramentali*, non aliud ſibi, quàm, *Diaboli Martyrium*, hoc eſt, & conſcientiæ carnificinam, & ſempiternam Gehennam, promereantur. Non credis hoc? At *Cremonenſi matronæ* illi *Nobili* crede (repetam enim, & inculcabo, quod proximo quoque *Sermone* produxi) quæ Sanctiſſimis Orationum, Jejuniorum, Eleemoſynarum, & Domeſticæ diſciplinæ, exercitamentis, ad mortem uſque, dedita, oranti pro ſe poſt mortem filiæ præcepit, *ut deſiſteret*; tanquam ab Opere pietatis, ſibi jam nec hilum profuturo. Quippe, quæ, *propter enormia quadam deteſtandaque* (ut verba quoque illius ipſiſſima repetam) *proprio cum marito fœdiſſimè perpetrata*, nec unquam (obſtante verecundiâ) Judici conſcientiæ ſuæ *detecta*, ſempiternis ſit flammis addicta. Vides, nihil (caſu tali) ſine *Confeſſione* ſacrâ, Operibus etiam Sanctiſſimis, in via Salutis, promoveri? At; *Contritioni* (inquis) & *Triſtitiæ*, propter *Occulta* flagitia, *inſiſtam*: & hoc, *ad obitum uſque meum*; méque *dolore cordis* inteſtino emaciens & eviſcerans, SIC abominationes expiabo meas: dummodo, *ſine Confeſſione*. Fruſtra, fruſtra, ſic quoque, fruſtra! nam audi! Romæ, anno milleſimo quingenteſimo, ſeptuageſimo primo, *Matrona* quædam, & ipſa *Nobilis*, abſente ad prælium Naupacticum, adversùs Turcas, marito, viro forti ac ſtrenuo, ſollicitata diutiſſimè precibus, ob-

ſecrationibus, & muneribus pretioſis, à *viro* quodam *alio* nobili, noctem ejus ambiente: poſt multum temporis, & conſtantiæ, in tuenda ſua pudicitia exhibitæ, vix tandem, ac ne vix quidem, neque, niſi *Vice* duntaxat UNICA, *conſenſit* in fœdum *Adulterii* cum eo flagitium: rémque turpẽ *opere* perpetravit. Mox autem, & è veſtigio admiſſi hujus ſceleris, tantis eſt animi doloribus, & triſtitiæ fluctibus, obruta, pudore dedecoris: ut, in *morbum* lapſa *mortiferum*, ex mœrore tandem extingueretur; ſed, *Adulterio* per *Confeſſionem*, ob verecundiam, non priùs denudato & eluto. Quid exſpectas? *Sempiterna* miſeræ iſtius ad Inferos *Damnatio* (ſedentis in *Gehenna*, jam *annis octoginta*, ſeſſuræque, quamdiu Deus erit Deus) revelata *marito* ipſius, Naupactico conflictu jam finito. per ipſammet uxorem, hoc eſt, *adulteram*, poſt obitum fuit. Maritus porrò P. *Lucæ Faneſtri* id enarravit, Sanctiſſimæ *Capucinorum* Religionis *tunc temporis* celebri, per eas regiones locáque, Concionatori; hic autem, *adultero*. qui flagitium, ſe auctore commiſum, & totius mali tragœdiam, fide bonâ & ingenuà faſſus, extra Sacrum tribunal, eſt. (*AAA.*) Vides, infelix) vides; Nec *Triſtitiâ* quidem, &, ad mortem uſque concepta, continuatáq; *mentis ægritudine*, ſuper admiſſo clandeſtino turpi facinore, juvari peccatricem animam, aut è Peccati lethalis nexibus extricari? ſi non accedat etiam *Occultorum* ejuſmodi, cryſtallo clarior, ac vitro perlucidior, *Confeſſio*. Sed ad *Hiſtoriam* revertor; invitatus, ad digreſſum hunc, ab *Heroide* illa *Lucia*: contentúſque nunc, his, quæ modò dixi, addidiſſe repetiſſéque, jam ſæpius antehac inculcatam *Scripturæ* fulminantis Senten-

Apoſtatæ Iapones.

Sententiam, de *Confeſſione nequam & inſyncera*; QUI ABSCONDERIT SCELERA SUA, NON DIRIGETUR! (*BBB.*)

XXVI. Poſteaquam igitur (ut memorare cœperam) ad *Columnam* quiſque ſuam, deligati ſunt ii, quos pro Chriſti confeſſione *flamma* vivos exſpectabat; cùm jam in procinctu mortis, tam *hi viginti quinque* ſtarent, quàm *Triginta* cæteri, ad *ferrum* & jugulationem adducti: advénit tandem, *Nangaſaquio* ex urbe, cum ſuo comitatu ſatellitióque, SUKENDAYNIUS, Gubernatoris *Gonróci* (qui ſupplicio tam atroci non erat interfuturus) *Vices-acturus*. (*CCC.*). Is, ingreſſus ſtadium illud, cancellis ligneis, lato ſatìs ambitu, undequaque circumſeptum; ad *medium* ejuſdem, *excelſo* ſe *ſolio*, Sinenſibus inſtrato ſplendentéque tapetibus, ſeſſum recepit. Idem fecit, ad utrumque *Vice-Gubernatoris* latus, pro ſuo quiſque munere gradúque, *Iudicum ethnicorum* reliquus conſeſſus atque ordo. *Terribilis* utique, tot ſimùl, longâ ſerie, *Tyrannorum* conſpectus! *terribilior*, inſtantium *ſuppliciorum* propinquus intuitus atque ſenſus! ſed, *Timidis* duntaxat, *Incredulis* (*DDD.*), ac fluctuaturis. Nam, ad *Fortitudinem* Canſtantibus exaugendam, præter *Stimulos* complures, ſuperiùs jam enarratos; præter Dei item Gratiam, & cœleſtem opem, omnibus, bene præparatis, paratiſſimam & obviam: *Stimuli* & *incitamenta* roboris *heroici* longè plura aderant & efficaciora, quàm *Terriculamenta*. Seriatim autem illa pandam.

XXVII. *Incitamentum* ergo, *Martyrii fortiter tolerandi*, PRIMUM (præter ſuprà dicta), CONCIO fuit, *Igne divino* plena; præviâ *Dei* canorâ *laude*.

laude. Cùm enim *Signum* jam dari cœptum eſſet, inchoandi cœleſtis hujus *Holocauſti*: altiſſimâ lætiſſimáque voce *Pater Carolus Spinola*, Pſalmum Sancti *Davidis* Centeſimum decimum ſextum eſt exorſus: *Laudate, Laudate Dominum, Omnes Gentes! Laudate eum, Omnes populi!* Reſponderúntque alternis, cæteri *Viginti quatuor*, ad columnas cum *Carolo* deligati. Reſponderunt & *Triginta* illi, qui ſtabant è regione, intrà ſepta, *capitis damnati.* Reſpondit, ut potuit, præ pio gemutu, devotis ſuſpiriis, ac dulcibus interni motûs lacrymis, ſpectantium Chriſtianorum *triginta millium* omnis circumfuſa multitudo. Abſoluto Pſalmo, P. *Carolus* (ſicut erat revinctus ad palum) converſo ad *Vice-gubernatorem*, (in throno reſidentem) & ad *Aſſeſores* judices, vultu; *Concionem* eſt exorſus, idiomate *Iaponico*, inflammatiſſimam: in qua *Vanitatem* oſtendit opinionis eorum, qui ſuſpicarentur (ut *Gentiles* Japones) aut fingerent atque criminarentur (ut *hæretici* Britanni Batavíque, perſecutionis illius primi concitatores); *Religioſos Europæos*, tot per terras & æquora venientes in ultimas Orientes Inſulas, *Iaponiæ potiùs Monarchiam*, *Hiſpano ſubdendam* dominatui, *quàm tot Animarum errantium millia*, Cœlorum Regi adducenda, *quærere* & affectare. *Vanitatem* quoque & perniciosas nugas *Idololatriæ*, Deorúmque fictilium cultûs, potenter ante oculos poſuit: potentiſſimè verò, *Chriſtianæ Catholicæq;* Fidei *Neceſſitatem* ad Salutem; ejuſdémque incorruptibilem, & omnis ſciſſionis impatientem, *Vnitatem*; *Quam Veritatem* (adiecit, ſub orationis finem) *ego nunc* confeſtim meâ meorúmque Sodalium horum morte, (quantum Deus

Apoſtatæ Iapones.

Deus dabit) obſignabo. Converſus deinceps ad *Luſitanos* adſtantes, plurimúmque flentes; conſolabatur eos: &, ad *Chriſti Fidem*, omni virtutum bonorúmque operum *Sanctitate* condecorandam, incitabat acerrimè, Cujus Sermonis *fructus* is fuit: ut ex eorum, quos *Carolus* tunc affatus erat, numero, nonnemo *de primis & locupletioribus*, confeſtim relinquere Sæculum, & Ordinem ingredi concionantis, decreverit. Quid cenſes, chariſſime? Num non *Efficax* valde *Calcar* iſtud PRIMUM erat, ad inſtantis, aut potiùs ad ſuperſtitis, *martyrii* conſummandum curſum? Cui tamen, ut *efficacius* adhuc multò foret, etiam ALTERUM mox ſucceſſit; *priore* fortaſſe non inferius aut languidius.

XVIII. Dum enim adhuc in Epilogo concionis P. *Carolus*; in genua ſe demittunt longâ ſerie *Triginta* illi, quos ſæpius jam memoravi, *gladio* adjudicati: in quibus, ut dixeram, Viri, Viduæ, Conjugatæ, puerique erant; Inter undecim verò *Viduas*, ISABELLA, cognomento FSRNANDA, *Dominici Georgii* (ante triennium pro Chriſto exuſti) relicta conjunx, gente Luſitana. Hæc, cum viro quondam ſuo, P. *Carolum*, contemptrix periculorum & minarum Imperatoris, hoſpitio pio, *propter amorem Chriſti*, ſuſceperat: ob eámque poſtea cauſſam, & *Vir* olim mori juſſus erat, & *Iſabella* tunc mortem exſpectabat. Ea igitur ipſa mulier, ad finem perductâ *concione*; verbis *ſpiritali Filiâ* digniſſimis, affectúque ſancto plenis, acclamavit *Patrem Calolum*: ac *vale* dixit. Quoniam autem & *filiolum* illa habebat, annorum quatuor, *Ignatium* nomine; quem (*Divi Ignatii Loyolæ* feſtâ luce natum) *Carolus* ipſe *ſacro fonte* tinxerat:

tinxerat: interrogat Carolus; *Parvus Ignatius ubinam* ſit? (nam, matri retrò inhærentem, tardiùs eum adverterat) Illa, retrorſum verſa, complexáque brachiis *filiolum*, & in ſublime efferens; *En, inquit, en, Pater! Hic meus eſt Ignatiolus! Hunc ego iam ſtatim ei Morientem offeram; à quo Vivum accepi Conditori, inquam, Deóque meo.* Simúlque parvulo mandat; Iret ocyùs, & *Patris Caroli* ſe pedibus advolveret, *ſupremæ Benedictionis* impetrandæ cauſsâ. Id, quod illico puer exſecutus eſt, maximô circumſtántium omnium animi ſenſu motúque: ſic, ut (ſolâ tunc ſiccâ, immobilique, Heroinâ matre) plerique cæterorum ſolverentur in lacrymas; attoniti tantâ Innocentis ætatulæ prompitudine, ſpectaculi inſuetudine, devotâ geſtuum compoſitione, formæ tenerâ venuſtate, veſtiúmque decentiſſimo cultu, quo mater eum exornatum, tanquam martyrii candidatum, produxerat. Perfunctus veneratione ſibi mandatâ, potitúſque bene ſibi precantis beneficio, puerulus; à *Patre Carolo* revertitur, matri ſe redditurus, & ſtationi ſuæ, cùm ecce, *Vice-gubernatoris* imperio, ſtringuntur in puncto acinaces: feriuntur per ordinem illi, ſexûs utriuſque *Triginta*: capita continuò *Tria quatuórve*, ante revertentis *Ignatioli* pedes decuſſa, procumbunt. Non terretur interim *puer*: ſed ad *matrem*, uti cœperat, ire pergit. quod, dum facit; en! & *matris* caput atque truncum, ante ſe provolutum, cernit. Nec illacrymatur tamen, nec expalleſcit, ac ne conſternatur quidem; ſed potiùs, in veſtigio ſtaſtim, cerviculam & ipſe ſuam exporigens applicánſque, vultu hilari decollatur nemine ſpectantium non obſtupeſcente: innumeris autem, altò

cum

Apoſtatæ Iapones.

cum ſuſpitio, illacrymantibus. Deus bone! quàm *forte*, quàm potens, quàm flammeum *Irritamentum*, & iſtud eſſe oportuit, iis, qui Chriſtiani certaminis agoni ſupererant? aſpicientibus è propinquo, Inter *triginta* capite plexos illos (tanquam *victimas præambulas*) tam *hilariter* excepiſſe *ferrum*, non *tredecim* tantùm *matronas* ſed *ſeptem* quoque *Parvulos*, & in his, ætate minimum, propemodum adhuc *Infantulum*? cùm profectò, revinctorum ad *Columnas* ſibi quilibet illud *Divi* poſſet *Auguſtini* ſuccinere; *Ibi, tot Pueri & Puellæ! ibi Omnis ætas, & graves Viduæ! Tu non poteris, quod iſti & iſtæ? An vero iſti, & iſtæ, in ſemetipſis* (id potuerunt?) *ac non* potiùs *in Domino, Deo ſuo*? (EEE.) Magnum igitur, & hoc SECUNDUM, fuit, ad retinendam *Fidem* atque *Perſeverantiam*, è ſpectaculo, adhortamentum. Sed, quod ſequitur, TERTIUM, antecedentibus fuit omnibus ignitum magìs & emphaticum.

XXIX. Cùm namque *Triginta* jàm omnes *ferro* concidiſſent; & eorum *Capita* ſuffixa contis, ad terrendos, qui pugnæ ſupererant, palàm illic omnium oculis, è regione propoſita, eminerent: tunc demum (nemine adhuc recantante) ſingulorum etiam, circùm *Columnas*, ſuccendi *rogus* eſt cœptus; inſaniſſimâ, tam intus incendentium, tum foris adſpectantium, *barbarorum* tumultuatione: *Chriſtianorum* autem, *tot millium*, cum gemitu, lacrymis, acclamatione; quam mœror quidem, *Spiritûs gaudio* mixtus, excitabat, ob tot ſimùl eorum, quos *in Chriſto Patres*, quos *Fidei magiſtros*, quos *Conſcientiæ arbitros*, quos *Evangelii præcones*, quos inter adverſa *conſolatores* habuerant, è vita diſceſſum, & jacturam. Quibus proinde, tot diſſo-

nè vo-

nè vociferantium, clamoribus ac fremitu, factum eſt, ut religatorum ad *Columnas*, & ardere incipientium, *Vox* vel prorſus, vel propemodum *nulla*, percipi valuerit. *Diſtabat* autem, à ſingulis eorum, *Ignis* per circuitum pali, à *pedibus* (ut plerique tradidêre) *Geometricis ſex*, aut *ſeptem*: ſive (ut alius quidam loquitur, in re nihil admodum diſcrepans) *ad tres bicubitos* (FFF.): ut, quantò lentiùs, tantò quoque cruciabiliùs, torrerentur; neque, ſicut alii vulgò, combuſti breviore morâ, ſuppliciis per compendium defungerentur: ſed, per ſpatia temporis admodum producta, longùm & atrociter aſſarentur. Stabant nihiloſecius ad palos ſuos, jam incinctæ flammis, *Hoſtiæ*, martyrio deſignatæ, *Viginti quinque* Omnes, (ſi excipiendas excipias) *immotiſſimo* corporum ſitu: Omnes, oculis in cœlum inconnivè directis: Omnes, inter cruciamenta flammarum incredibilia, nullíſque verbis explicanda, *perſeverantiſſimè*; tanquam *adamantinæ* quædam erectæ STATUÆ. Quocirca viciſſim, *Statuarum* inſtar, à præſentibus illic, aſpectabantur. SPECTACULUM, *Præſidi Iudicibúſque* ſtupeſcendum; ad exprobrationem paganæ tyrannidis. *Spectaculum*, lacrymantibus *Chriſtianorum populis*; ad incitationem Fortitudinis. *Spectaculum*, Japoniæ univerſæ, *gentilibúſque*; in *Fidei* noſtræ ſigillum & confirmationem. *Spectaculum*, glorificato *Deo*; jubilantibus *Angelis*, perſequenti *Mundo*, confuſis & pudefactis *Luciferi* legionibus. *Spectaculum* quoque COELO, coronas præparanti; *Solíque*, fortitudinem tantam aſpicienti: cùm fumus, & nidor *Sacrificii huius*, ſurſum ad Sidera volitaret. *Spectaculum* denique, *Batavis* etiam & *Anglis ſectariis*, flammarum

Apoſtatæ Iapones.

rum hujuſmodi primis ſollibus & incenſoribus: cuj *Theatro* (tam numeroſo) quid ipſi Simile, ſuis de *Sectis*, ac *magiſtris* opponent?

XXX. Duravit autem, ab horis *antemeridianis* cœptum, hoc *Incendium*, in tempus uſque *pomeridianum*, in longum, aliquorum producto cruciatu. *Primus*, ex omni numero, cœlum evolavit P. *Carolus* SPINOLA: cujus *veſtibus*, cùm lignorum ardentium fruſta, pectori ſinuíque inſilentia, tenaciter hæſiſſent: exuſtis ille vinculis ac funibus, & magnâ præterea corporis parte, concidit pronus in faciem; expaſſis utrimque generoſis palmis terram complexus: pruníſque flagrantibus, velut oſculum figens, *exſpiravit*. Poſt hunc alii per ordinem, atque alii, *in genibus omnes*, aut etiam *in carbonum oſculis* quidam, extincti. Quorum *ultimum* omnium *Pater Sebaſtianus* CHIMURA, *Societatis Ieſu*, ſolidas *tres* toſtus *horas*: decuſſatim compoſitis ante pectus, manibus (poſtquam exuſta pridem vincula fuerant) & amabiliter infixis cœlo oculis, in ſtuporem rapiebat omnem circumſtantium univerſitatem. Atque in hunc modum ex *Viginti quinque* capitibus, *flammæ devotis*, Animæ *Viginti duæ* de cineribus, tanquam Phœnices, in *Paradiſi cœleſtis* vertices evolarunt: ingentia profectò, numeroſáque *Fortitudinis*, *ad finem uſque retinenda*, proritamenta.

XXXI *Viginti duæ* (inquis) *Animæ*, de contubernio capitum *Viginti quinque*? *Vbi ſunt igitur*, ad numeri totius, & gaudii, explementum, TRES *reliquæ*? Jam (dilecte), jam audies. Nimirum; non obſtantibus tot, ac tam potentibus, ad *Conſtantiam* perſeverantem, *Stimulis*: TRES (prôh dolor!) *Tres Perſonæ* non tenuêre *palmam*. *Et*

Digitized by Google

quanam, *ex illis*? (rogas) *aut*, *cuius ſortis*, *capita*? LUCIA *forſitan*! (divinet aliquis) nam hæc *ſola*, tot inter *Viros* exurenda & ipſa, ſed imbellis *Fœmina*, ſimùl vincta ſteterat. Hæc, credo, *defecit*. *Nec mirum* (dicet alius) : quippe, *Sexus fragilis*, *lubricus*, *infirmus*, *inſtabilis* : *ac*, *tam inſolens dolorum acrium*, *quàm*, *gaudiorum & voluptatum appetens*. Hæc tu quidem. Sed fálleris, quiſquis de *Muliere* hac tam iniquè ſuſpicaris. Enim verò, ſtetit, perſtitit, erecta manſit, tanquam COLUMNA IMMOBILIS, LUCIA hæc SPONSA CHRISTI (*GGG.*) : duravit, perſeveravit, vicit, triumphavit. Hanc illi quippe Fortitudinis *Efficacem Gratiam* contulerat is, qui *reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ*; tam demiſsè paullò antè quærentis, & obeuntis, *ſui*, de Peccatis, *accuſationem*. *Et quæ igitur* (inquis), quæ Perſonæ, ex omni reliqua multitudine, non tenuêre *Conſtantiam*? Audi.

XXXII. In parte campi extremâ, ad ipſum *montis principium*, (propone tibi mente, pedem collis caſtellani, cuj *Divi Vdalrici* Sacellum aulicum inſiſtit) *tres* erant JAPONES, *ordinis* cujuſdam *Religioſi*: quem nominare, non eſt neceſſe, tametſi poſſem. (*HHH.*). Hi, inter *quatuor ultimos* concremandos conſtituti, tametſi primò robur ſimulantes, & qualemqualem alacritatem; ſimulac tamen admoveri flamma, ſuccendíque pyra, cœpta eſt; non diu tenuêre ſtationem: ſed, eximere ſe vinculis, & ardore, laborarunt. quod utique, (ſicut in ſuperioribus dixeram) propter funium *laxitatem*, in proclivi fuit. Notavit hoc continuò quidam; qui, inter eos, *medius* alligatus, ad palum ſtabat ſuum, *Religioſus alterius ordinis*.

Apoſtatæ Iapones.

dinis. Ludovico *Cavára* nomen erat: qui, inter *ephebos* quondam Arimanorum Regis, *Protaſii*, educatus, poſtea, *Ioanni Michaëli*, Filio *Protaſii*, *à cubiculis* fuerat. poſteaquam autem à *Fide* Michaël (velut in *Protaſio* memoravi) deſcivit: ne *periculum* ipſe *Salutis* propriæ, *cælique iacturam*, incurreret (quam exſpectare debent omnes illi, qui apoſtatis, impiis Eccleſiæ deſertoribus, ac venenoſis Hæreticis, crebro, & aſſiduo, conſortio, cohabitatione, familiaritatéque nimis inteſtinâ, junguntur): religionis Chriſtianæ *transfugam dominum*, & unà, fortunas ſuas omnes honoréſque, *Cavára* deſeruit; ingreſsúſque tandem Societatem IESU, *Coadiutoris* in ea *domeſtici* partes, vir licèt domi ſuæ *nobilis*, egit. Hic talis igitur, deligatus (ut dixi) medius, inter *Tres* illos *nutantes*, acçerrimè cœpit eos, & Zeli divini plenâ concione, ſuæ vocationis, & arrepti certaminis, & capeſſendæ Coronæ, commoneſacere; ídque multùm, ac diu. Et in UNO quidem *Trium* illorum tantum profecit, ut is ad *columnam* ſuam & *Ignem* (unde, vinculis enodatus, jam exſilierat) regreſſus tandem fuiſſe perhibeatur: nonnullíque pro comperto affirmârint; Eum inter flammas denique, transfugii ſui *pœnitentem*, vitam poſuiſſe. Quia tamen id non omnibus paſſim tam clarum conteſtatúmque fuit: *nomen* hominis illius, prudentis cautelæ cauſsâ (ne fortaſſe *pro indubitato Vero Falſitas* irreperet) *catalogo* reliquorum, pro Chriſto exuſtorum, non eſt inſertum; ſed expunctum, etiam in hunc uſque diem, remânet. Quid autem? cæteri *Duo* quid? Nihil in iis Exhortator *Cavára* profecit: ſed, mortalium infeliciſſimi non monitorem tunc, non ſpectatores, non grande

Scandalum, non reboantem conſcientiam, non Chriſtum Judicem, aut vindicem Deum, non tortores Diabolos, & Gehennæ ineluctabilem Æternitatem, reveriti; ligamentis ſe ſuis, non multò poſt cœptum jam Incendium, exſolverunt: incredibilíque *Sociorum ardentium* animi cum dolore, pyrâ *uterque* ſuâ diſſilientes, ad SUKENDAYNI, Vice Gubernatoris, tribunal, atque ad Judicum Japonicorum ſubſellia, provolârunt. Illic (malùm, & nefandùm! in genua provoluti, voce clariſſimâ; *Ignoſcite!* (clamabant) *date veniam! conſervate nos! & ingratiam recipite veſtram, Clementiſſimi Domini! Nos enim illum infelicium iſtorum Chriſtum, &, cum eo, Chriſtianorum omne nomen; abjicimus, eiuramus, & exſecramur: Deos autem Iaponiæ, Xacam, & Amidam, adoramus.* Hæc nebulones illi.

XXXIII. Quid deinde? quid exſpectatis, dilectiſſimi? *Gratiam* (opinor) & verba blanda, & complexus, & oſcula & honores, & divitiarum congeriem, & voluptatum fluvios, & formóſorum conjugiorum hymenæos, & horum ſimilia alia: *perfidia ſacrilegæ,* deteſtandíque transfugii, *præmia?* ſicut *adverſarii nonnulli* faciunt *religionis* noſtræ; talia procùl oſtentantes, & verbis coràm offerentes: non rariſſimè verò reipſa præſtantes, iis; qui à nobis ad ſe in *VVirtenbergiam*, in *Saxoniam*, in *Bataviam*, in *Angliam*, religione majorum orthodoxâ deſertâ, transcurrunt. O, *pulchram* talium *Eccleſiam*; *ſuper talia fundatam!* Sed, Nunquid his ſimilia, & *Iaponniis* iſtis *Apoſtatis*, præmia repenſa ſunt? *Similia* quidem certè *ſperaverant.* Verùm, *Nihil minus* illis, quàm horum aliquid, obtigit. *Contraria potiùs omnia*, & è regione pugnantia (ſic quippe fas, ſic decens erat). Incenſi namque,

Digitized by Google

namque, unà cum *Sukendayno*, ſupplicii *Præſides*; partim *admiratione virtutis* heroicæ cæterorum, qui ſibi, & Chriſto, conſtabant; partim *contemptu* ignaviæ *perfidiaq;* transfugarum: contrà morem quidem omnium retrò præcedentium deſertorum; quin & contrà callidam intentionem *Vinculorum*, *laxiùs circumpoſitorum*, quò promptiùs *ad fugam*, è flammis, illicerentur: *divino* tamen quodam eorum animos incitante *ſtimulo*, quid, quæſo, quid fecerunt? APOSTATAS hos *Duos*, manibus iterum pedibúſque conſtrictos, *reportari* denuò, conjicíque *in flammas*, præceperunt; plurimùm licèt obnixéque repugnantes, & *hominum Deorúmque opem* inſanis clamoribus implorantes. Ibi (quò *præmia fallacis mundi* videas) in articulo temporis conſumpti ſunt, & in favillas redacti. At, *Reſipiſcentes* utique? *tunc ſaltem* denique, cùm præſentis vitæ Spes omnis interiíſſet? *Nequaquam*, ac, *nihil minùs*: ſed potiùs (ut clariſſimè videres oculis, & utráque manu palpares, horrendum in eos, ſed juſtiſſimum tamen, Dei furorem) ii, qui à Sancta *Perſeverantia*, quin & à *Fide* ipſa, ſemel defecerant, in utriuſque ruina ac deſertione turpiter & *obſtinatè permanſerunt*; uſque adeò, ut, non jam pro tribunali tantummodo, ſed in ipſo quoque, (*Inferni* prodromo) *Incendio*, ſceleſtiſſimi *Amidæ*, (Japoniorum, *Dæmonis* veriùs, quàm Idoli) *nomen* exſecrabile crebris, aſſiduis, & inſanis boatibus, implorarent: ejuſque in *nominis* media flagrantíque *invocatione*, damnatum ambo Spiritum exhalarent. Itaque, *tanta* quondam (tam diuturno in carcere) *paſſi*, *ſine cauſſa* (*III.*) ſinéque fructu, à *Gehenna præſentis* temporis migrârunt ad *Gehennam* alterius ſæculi *ſempiternam*: impletúmque,

Apoſtatæ Iapones.

túmq;,in duabus his diverſis occumbentium factionibus eſt, quod *Salvator* quondam dixit, de diſceſſuris in diſparia, pro meritis, loca; *Et ibunt hi* (deſertores) *in Supplicium æternum*: *Iuſti autem* (in quibus cæteri quinquaginta duo (*in Vitam æternam*.

XXXIV. O, O, *Iudicia Dei*, miranda quidem, etiam hîc & expaveſcenda: ſemper tamen *Iuſtiſſima*, & æquitatis plena! Nam, ecce! (dilectiſſimi) ecce! Hi *Duo*, Hi, inquam, ipſi *Duo* erant illi, qui in carcere nuper *Omurano* (nonnihil etiam eorum peccatum & contumaciam adjutante *Tertio* illo, de quo dixi, *fluctuatore*; quem vix tandem, *Gavára* exhortatio reduxit ad Columnam) captivorum omne contubernium, in re GRAVI turbârant; &, ſuper hac admoniti, ſuperbè, cervicosè, aſperè, obſtinatéque, rebellârant; OBEDIRE contumaciter NOLENTES. quibus (velut retuli) *P. Carolus Spinola*, cùm oſtendiſſet illius *Delicti ſcandalum & magnitudinem*, poſteaquam nihilo ſecius eos in ſententia perſtare vidit; *ex parte Omnipotentis Dei* comminatus vindictam erat: præſente, ſicut dixi, *Carceris* Omurani *cuſtode* quodam *Iaponio*. Hæc nunc illorum ſceleris *vindicta*, hoc *Caroli* ſuper illis vaticinium, etiam illo ipſo tunc excubitore barbaro (qui ſupplicio, rebúſque ad Nangaſaquium geſtis, præſens adſtiterat) agnoſcente, teſtante, venerantéque, ad unguem eſt impletum.

XXXV. Hic videlicet *Peccatorum* fuit *Lethalium*, in his *Apoſtatis*, verè *peſtifer*, verè malè-fœcundus *Fructus*. *Defectio* à PERSEVERANTIA: *reſultus* ab Ordinis ſui ſuſcepta profeſſione: *transfugium* à FIDE illa, ſine qua nulla Salus: *Eiuratio*

Digitized by Google

ratio regis regum JESU Chriſti: *adoptatio* contrà, *Diabolici* cultûs ac mancipatûs, in *adorando*, per noviſſimam impietatem, Amidâ: *Diſpendium* omnis (per acta præcedentia collecti) boni nominis & famæ; *Interitus* denique corporum, interitus *animarum*, & indubitabile *ſine fine* tormentum. Quis jam proinde *te non timebit*, ô *Rex gentium*? (*LLL.*); *qui Claves habes mortis, & Inferni: aperis, & nemo claudit: claudis, & nemo aperit.* (*MMM.*) *BEATVS* ergò, *Beatus multùm homo, qui* SEMPER eſt PAVIDUS! (NNN.) & qui *cum metu ac tremore Salutem* ſuam *operatur*: ſicut ſanctiſſimus *Paulus* nos monet. (OOO.); nequando FIDEI *vera*, ne fortè PERSEVERANTIÆ *FINALIS*, irreparabilem Ruinam & *iacturam* quis incurrat; & vel hac, vel illâ, vel utráque, in Peccati præcedentis pœnam éxcidat. Quis noſtrum, chariſſimi, quis eſt omnium, in utroque ſexu, qui certus ſit; Non commiſſum à ſe *Peccatum* aliquando, vel *Vnum*, vel *plura* GRAVIA? quæ *Divinus oculus* inſculpſerit *aterna memoria*; quæ *divinus digitus* inſcripſerit *rationum* ſuarum *tabulario*? propter quæ, *ſuo* quandoque *tempore*, maturiùs, aut tardiùs, ſed aliquando tamen, *iuſtiſſima vindicta cauſſá* nos *deficere* permittat à Sanctiſſima FIDE, ſicut plurimos? deſciſcere à Sancta PERSEVERANTIA, ſicut innumeros? Sic enim ſanè defecit *Saul*, rex Hebræus; ſic *Iudas* Iſcariotes, Apoſtolus; ſic *Nicolaus* Antiochenus, Diaconus; ſic *Origines* Adimantius; ſic *Tertullianus* Afer; ſic *Ruffinus* Aquilejenſis: Eccleſiæ primùm *Doctores*; poſtea *deſertores*, & oppugnatores. Sic Angliæ Rex, *Henricus Octavus*; ſic Chriſtiernus Daniæ: ſic Omuræ nuper Principes, *Tangódonus*, Apoſtatæ Iapones.

gódonus, pater: & *Mimbudonus*, filius. ſic alii atque alii, ſine fine producendi. *Defecerunt*, inquam, ac transfugerunt; & collapſi ſunt, *incorrectô* & irreſuſcitato *præcipitio*. Et cur? *In pœnam Omnes*, & in ultionem flagitiorum antecedentium: non quidem uniuſmodi, ſed GRAVIUM tamen, & Deo plurimùm diſplicentium.

XXXVI. Horum omnium *Interitu* lamentabili, ſapiamus (quæſo) nos: síntque *magiſtri* nobis retinendæ propriæ *Virtutis*, alienæ *perfidiæ* lapſus atque foſſæ. Ne in *alterutram* harum voraginum, (in quas, hinc quidem deſerta *Fides*, illinc autem excuſſum *Perſeverantiæ* jugum, præcipitat) incîdamus; diligenter, obſecro, præcaveamus certa quædam *Peccata*, ad utrumque vulgò pedes lubricos diſponentia. Ac FIDEI quidem NAUFRAGIO (ſicut id appellat divinus *Paulus*) præſtruamus aditum, & fluctus; fugiendo *Dubitationes Omnes*, circa FIDEM, *Voluntarias*. Ob *inutiles* enim, in ea, *perplexitates*, naufragaverunt eorum pleríque, quos modò nominavi; frangéntque navim, qui deinceps erunt in poſteris nominandi. Quin & *hac tempeſtate*, pereunt in mari hoc procelloſo, qui *priùs* delinquunt (*in utroque ſexu*) per *Immodicam* Scrutandorum Dei myſteriorum *Curioſitatem*: per turgentis judicii *Superbiam*: per nimiam & incredibilem ſui, in rebus etiam Diviniſſimis diſcutiendis, *Fiduciam*. Quam *temeritatem* intolerabilem in ſe, ſuámque animam, ſuſcipiunt, (&, frequenter admodum) Homines, omnium ſcientiarum rudes, ac planè de plebe. quorum audivi ſubinde, ſubſannatores quoſdam, ſublimiſſimarum rerum & Controverſiarum, ſeſe conſtituere Judices, ac Diremptores, audere.

Apoſtatæ Japones.

audere. *Longiùs* alii, (dicam &, *Abſurdiùs*) progrediuntur: De Colore (quod dicitur) *oculis etiam cæcis, ferendo iudicium*, ex imaginarii cujuſdam *radii* Falſitate. Vident enim, & audiunt, (exemplis ut agamus) in *urbe* quapiam acatholica, ſeu *Imperiali*, ſeu quacunque alia *Reipublica* politicum Ordinem; *Sectariorum* in templis *confeſſas*, & *cantilenas*; *nigrantis* modeſtiæ Stoicum *veſtitum*; affectatæ *lenitatis* compoſita *verba*; civium hæreticorum *affabilem humanitatem*: & his ſimilia diſſimiliáve. Quare confeſtim exclamant; *Ah! mortales, probè moratos! Et hos, credat aliquis, perire poſſe?* Apud *Catholicos* autem noſtros (utpote, quibuſcum aſſiduò verſentur) è contrario, *Scandala* ſubinde, nec rariſſimè, notant, tam *profanorum*, quàm *Eccleſiaſticorum*: interdúmque & *Primorum* in his *Capitum* (*quid enim manifeſta negemus?*) & vociferantur, ex tempore, ſed non ex æquo bonóque, non ex rectâ ratione; *Verè*, verè, PAPATUS *Omnis, nefaria Babylon eſt! Quis, apud hos tales, putet inveniri Cœlum? aut, non æquè facilè, fortaſſéque expeditiùs, apud noſtræ religionis adverſarios?* In hunc modum, cùm tam perversè judicium fertur, homines *privatim* ac ſingillatim: in hunc modum, urbes tandem & communitates *univerſim* labant, & in FIDE ſaltem *intepeſcunt*: donec ad extremum *congelaſcant*, & in *Hæreſis* glacie pedem ac *Salutem* frangat. Et *Cuiúſnam*? aut, *Quorum*, culpâ? Profectò, *Noſtrâ ſolorum*: qui *ſcientes, prudentes*, in offenſiones & *Scandala* per ejuſmodi tricationes, incurrimus. *Noſtrâ ipſorum* (iterum enim, iterúmque éadem clamare, non deſinam) *noſtrâ* (inquam) *culpa malitiáque*! qui primùm *ipſimet* malè

Apoſtatæ Iapones.

Digitized by Google

diſſolutéque vivimus: deinde, ex *aliorum* flagitioſâ vitâ nos *offendicula* capere, non tam ſentimus, quàm ſimulamus; ut nequitiis noſtris pallium circumponamus. INITIUM (audacter dico) Initium *fluctuationis* omnis, & NAUFRAGII *Fidei*, revera *ex nobiſmetipſis* eſt. NEMO, ſanctè fervidéque vivens, & certus-adhærere ſemper Deo, poterit unquam *aliena* vitæ vel hypocriſi, vel improbitate, ſubverti: NEMO LÆDI, NISI, A SEIPSO. Vidiſti, miſer, inter *hæreticos*, qui de comptis tibi moribus, probarentur? *Atqui attendere* juſſus es *ab eis, qui Veniunt in veſtimentis ovium*: & *intrinſecus ſunt Lupi rapaces.* (*PPP.*) Vidiſti, politicè modeſto vultu, cultu, inceſſu, ſermone, geſtu; hujus mundi *oculis* placentes, *Sectarios*? vide, num & *divinis*? cùm ſine *Fide* (*verâ*) ſit impoſſibile, PLACERE DEO. (QQ.) Vidiſti apud illos, fortaſſis *tres*, *ſex*, *decem*, *viginti*, *triginta*, (ſi tamen tot) ſimulatæ pictæque probitatis? Cur ergo non, pro his diſfictis pauculis, è contrario notâſti apud eoſdem *centum millia* manifeſtæ pravitatis & nequitiæ? Audiſti de *quodam*, aut *quibuſdam*, qui de nobis ad eos *transfugerunt*. Et, *quóſnam* igitur? &, *quales* &, quâ *famâ*? quâ *cauſâ*? quo *ſtimulo*? quo *morum ſplendore*? Nunquid aliquis ex SANCTIS, ad illos, aut SANCTITATIS ergô, commigravit? Vidiſti, ex oppoſito, audiſtíque, inter *Catholicos*, qui vixerint aliquando, quíve viverent adhuc hodie, flagitioſè, etiam in *Culminibus*, & iis quidem, *Sacris* ac venerandis. Cur, quæſo, non intuitus viciſſim es, pro illis *Improbis*, ingentes *immaculatè* ſanctéque *viventium* populos, & exercitus? Vidiſti, *hodierná* in *Tragœdia*, deficientes à Bono rectóque, DUOS,

Apoſtatæ Iapones.

Digitized by Google

DUOS, aut, ut multùm, TRES? Cur non aſpicis è diverſo, pro pauculis illis lapſis, in ſanctitate fortiter perſtantes alios. QUINQUAGINTA DUOS? *Cur Oculus tuus Nequam eſt*, (*RRR.*) *quia ECCLESIA Bona*? quæ, præcepto divino convenienter agens, non omnia ſtatim rigidâ falce reſcindit, aut coæquat: quæ, inter *triticum*, aliquouſque *Zizania* quoque tolerat, *uſque ad tempus meſſis*? quæ, *filios* ſuos, etiam ſenſim degenerantes, ſæpe diu, *Spe Pœnitentiæ*, ſuſtinet, nec ſtatim exturbat. Siquid igitur vides, ſiquid ſapis, & tibi conſulis; præteribis *Caliginem Alienam*; & tu potiùs, etiam inter *Opaca* (vitiorum proximi) ſtudebis, ut *Carbunculi* fulgere *Gemma*, Virtutibus: &, *ſicut Luminare*, reſplendeſcere, *in medio nationis pravæ ac perverſæ.* (*SSS.*): nugas tricáſque *diſputatiuncularum*, de FIDEI rebus, dimittes; ne, *Altùm ſapiendo*, & non *timendo*, (*TTT.*) ruas: ne fortè, *qui naturalibus Ramis non pepercit* (Viris, inquam, *Religioſis*, quos hodie, labi permiſſos, inter *Iapones* vidiſti) *nec tibi parcat, Oleaſtro*, (*VVV.*) hoc eſt, *Profano.* Crede namque mihi! Vetus iſtud & verum adagium eſt; *Neque Deus irridetur, neque FIDES & OCVLVS iocum patiuntur.* Amoveamus ergò, quæcunque poſſunt, & ſolent, ad FIDEI prædiſponere NAUFRAGIUM: ſed inprimis, *Sectarum* & *Hæreſeon favores*; atque *Conſcientiæ Bonæ* neglectum.

XXXVII. Ut verò, nec in PERSEVERANTIÆ-*Bonorum-Operum*, ac *Virtutum*, & in *ſanctâ Patientia*, jacturam *irreparabilem* illabamur; poſtquam *emundati* jam ſumus *à Conſcientia mala* (chariſſimi) *Peccatis* noſtris omnibus, & Occultis *Lethiferis*, ejectis; ne propterea poſthæc torpeamus,

Digitized by Google

peamus, ſed *magis ſatagamus*, *ut per BONA OPERA Certam noſtram Vocationem*; *& Electionem, faciamus. Hæc enim facientes, non peccabimus ALIQVANDO* (*ſicut Apoſtatæ Iapones* hi peccârunt, & peccatis immortui ſunt): *ſic* (& non aliter) *abundanter miniſtrabitur nobis Introitus in æternum Regnum.* (*XXX.*) O, quanta fecerunt, quanta paſſi ſunt, omni ſemper ævo, quicunque PESEVERARE voluerunt! & hanc PRIVILEGIATAM à DEO GRATIAM *de Congruo* promereri? Et his ipſis (quos hodie produxi) pro Chriſto exuſtis, & ex aliis, eorum ferè coævis, JESU pugilibus, quid non plerique præſtiterunt? quàm aſperè *Martyrio* ſuo præluſerunt? Quàm rara, de iis? quàm, & admiranda pariter, & imitanda, legimus? (*YYY.*) *Cilicinum thoracem* geſtâſſe ſemper nonneminem (*ZZZ.*); & eo veſtitum, *in flammis* etiam ac cinere repertum? Atrocis *flagelli* verberibus, alium in corpus ſuum, tenerè quondam enutritum, quotidie deſæviſſe? (*AAAA.*) In ſingulas ſeptimanas, diebus certis, alios (& hoc, *Pueros Tredecennes*, &, *maritis iugatas fœminas*) anno toto *ieiunâſſe*? in precibus *flexo poplite*, crebros, & aſſiduos? ab *uſu Coniugii* legitimo, de conſenſu mutuo, frequenter *abſtinentes*, ac longo tempore, fuiſſe? denique, *Carnem ſuam* modis omnibus *Spiritui* ſubjugâſſe? Imitemur, (*per Salutem noſtram*!) imitemur eos! alius aliter, ſuo quiſque vel modo, vel modulo; dummodo, cum fervore; & *hac* præcipuè *ſeptimanâ*, quæ tota *Domini Patientis* eſt; ut & tota *noſtra* ſit *compaſſionis* ac meriti. *Si enim compatiemur* (in hunc modum); *etiam glorificabimur* (*BBBB.*): *ſi commoriamur, & convivemus: ſi ſuſtinebimus; & conregra-*

Apoſtatæ Iapones.

conregnabimus. (CCCC.) Nec obſtent nobis (quò minùs ad hanc, aut *Martyrum* iſtorum, aut *Regis-Martyrum*, imitationem aſpiremus) *Peccata noſtra:* non, temporis, ad emendationem noſtri, nimia *parvitas*, & arcta ſpatia dierum; *octo* putà, vel *decem*. UNA HEBDOMAS, (Granatâ, viro *Illuminatiſſimo*, teſte) *UNA*, inquam, *Hebdomas, in Pœnitudine peccatorum ſeriò conſumpta, cum ope divina ſufficiens eſt, ad plenam uniuſcuiuſque Converſionem.* (DDDD.) Neque tamen poſt *Converſionem* obtorpeamus: ſed *creſcamus* potiùs in Virtutum exercitamentis, & *Operum Bonorum* ſollicito fervore: ut, *Quodcunque poteſt facere manus noſtra, inſtanter Operemur.* (EEEE.) In PORTUM *Pœnitentiæ*, omni nos conatu, referamus; &, cùm in eo jam erimus, in eo, quàm poſſumus, intentiſſimo ſtudio *perſeveremus.* Pro *Peccatorum peſtiferis* expellendis *Fructibus*, è contrario, DIGNOS, ac delictis noſtris commenſuratos, POENITENTIÆ FRUCTUS (*FFFF.*) FACIAMUS. ad quos, ſi minùs potenter EXEMPLA nos iſthæc TRAGICA permovent: ſi, more *heterodoxorum* (quoties *hiſtoriis*, extra *Scripturam*, res agitur) imperitè vociferamur; AD LEGEM, AD LEGEM MAGIS, ET AD TESIMONIUM! (*GGGG.*): permoverat ſanè LEX *Divina* nos, quâ *Confiteri* jubemur *alterutrum* (homo homini, & non, Deo ſoli) *peccata noſtra!* (*HHHH.*) Provocet (agè) nos TESTIMONIUM illius, de quo *ſcimus, quia verum eſt teſtimonium eius* (*IIII.*) cujus verba ſunt! *Si Confiteamur Peccata noſtra, Fidelis eſt & Iuſtus, ut remittat nobis.* (KKKK.) Incitent *mina* nos & præſagia, divini *Siracida*, dicentis; *Si Pœnitentiam non egerimus, incidemus in ma-*

Digitized by Google

in manus Domini, *& non in manus hominum.* (*LLLL.*) *Horrendum eſt* autem, *Incidere in manus Dei Viventis* (*MMMM.*), & *occulta* noſtra omnia; *pervidentis.* Quòd ſi verò etiam poſthæc, adhuc *Amari* nimiùm guſtui noſtro FRUCTUS hi *POENITENTIÆ* videbuntur: eja, cum Divo Auguſtino, iterum nobis atque iterum; in aures clamemus; *Melior*, melior, milliéſque melior *eſt NUNC Modica Amaritudo in Faucibus*, *quàm* ÆTERNUM *tormentum in Viſceribus!* [NNNN.] Cogitemus inſuper; & NECESSITATEM: *primùm* quidem *Patientiæ* ac *Perſeverantiæ in bene cœptis*; quam [prôh dolor!] non expenderunt hodierni *deſertores Iapones.* quorum iſta debuerat eſſe [ſi ſapuiſſent] ratiocinatio; *Durum*, *durum eſt, uri, deligatos ad palum*: *ſed durius*, *transfugere falſos ad Deos*, *& ad tortorem diabolum!* *Grave*, *grave*, *torreri ad horam*; *ſed infinities graviùs*, *aſſari Sæculis innumerabilibus.* *Atrox* (fatemur) *& intolerabilis*, *flamma præſentis dolor*; *ſed*, *atrociſſimis omnibus atrocius*, *& intolerandis omnibus intolerabilius. Gehennæ ſempiternum ſupplicium. Et horum tamen alterutrum in hoc tam arctæ neceſſitatis angiportu*, *ſubeundum Incendium eſt. aut Iſtud*, *ad modicum tempus*; *aut Illud*, *in immenſam*, *& Finis ignaram*, *Æternitatem. De malis ergò Duobus*, *neceſſariis*, *infinitâ comparatione diſtantibus*, *quanta ſtoliditas eſt*, *non Eligere*, *quod Minimum ſit?* Sic illos ratiocinari, fas fuerat. Hanc & nos *Patiendi-quid-aliquantiſper*, NECESSITATEM, viâ rectâ nobiſcum reputemus: *quibus*, tametſi *non ſemper* [ut martyribus illis] *Ardendum*; *ſemper tamen*, *ut Peccatoribus*, *Pœnitendum eſt.* Hanc igitur, *ſecundo* loco, *Pœnitentia*

Apoſtatæ Iapones.

ia Bonorùmque Operum Neceſſitatem, cunctos *adultos* obligantem, ponderemus: &, quòd [præter hæc] hominis vita *brevis*; Dei Patientia [in majus judicium noſtrum] *Longa*: Delicta juventutis, & ſenii, *plurima*; Rectè Facta fortaſſe *pauciſſima*, languidáque Certa *moriendi* lex, Incerta mortis *Hora*, *Status animæ*, poſt mortem, *Incertiſſimus*: Via Cæli *arcta*; Paradiſi porta *anguſta*: *Vocati multi*, *Electi pauci*: Judicium *ſtrictum*; Judex, impœnitentibus *Inexorabilis*: Confeſſio poſt mortem, & lacrymæ, *infructuoſa*; Flammarum ardor *intolerabilis*, Ignis inferorum *Inextinguibilis*: Æternitas, *omnis meta* terminíque *neſcia*. Quibus cunctis, & adhuc pluribus, ponderandis, *formidandíſque* ſolo præmedetur. ABSTINENTIA quidem deinceps *ab Omni Malo Mortifero*; in *Omni* verò *Opere Bono* [pro cujuſque conditione Statûs] indefeſſa PERSEVERANTIA. Solus iſte, nec alius, FINIS CORONAT OPUS.

TESTIMONIA.

[A.] *In caput. 7. Matthæi*, *ſuper illa verba*; Excidetur, & in Ignem mittetur. [B.] *ad Hebræos* 11. *verſ*. 6. [C.] 3. *parte*, *quæſt*. 73. *artic*. 3. *ad* 5. [D.] *Vide*, *pro hoc*, *& ſequentib*. *S. Doctorem*, 1. 2. *quæſt*. 89. *art*. 2. *ad* 1. *&*, 2. 2. *quæſt*. 16. *artic*. 1. *ad* 1. *Ibid*. *quæſt*. 7. *art*. 1. *ad* 2. *&* 1. 2. *quæſt*. 63. *art*. 2. *ad* 1. [E.] *Homilia* 34. *in S. Matthæum*. [F.] *pſal*. 118, *verſ*. 32. [G.] *Homiliâ* 34. *ſuper Chriſti verba*, Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes. *Matth*. 10. *v*. 16. [H.] *Matth*. 7. *v*. 27. [I.] *sap*. 16. *v*. 26. [K.] *Matthæi* 24. *v*. 13.

Apoſtatæ Iapones.

Digitized by Google

verſ. 13. [L.] *verſu.* 16. [M.] ὑπομονήν *habet Græcus: quæ, in Scriptura ſacra paſſim, eádem eſt cum* Perſeveranti Patientia. *ut Criſpin. in Lexic.* [N.] *In Epiſtolis. Citatúrque* 129. *ab Hybernico.* [O.] *verſu.* 14. [P.] *verſu.* 19. [Q.] *verſu.* 12. [R.] *Pſalm.* 72. *v.* 1. [S.] *verſu* 13. [T.] *Pſal.* 87. *v.* 6. [V.] *Ad Galat. c.* 2. *v.* 6. [X.] *Iacobi cap.* 3. *v.* 5. [Y.] *P. Fabii Spinolæ, in Vita Caroli Spinolæ, ſupputatio, non plures numerat, quàm XXI. religioſos occiſos: quia haud dubiè non adnumerat eum [tanquam ambigui exitûs] qui poſtea titubavit, & à Columna ſua ſemel receſſit. Eſſent ergo [hôc, & duobus aliis deſertoribus, non aggregatis numero ceterorum], pro Chriſto indubitanter occiſorum, Religioſi-Vincti duntaxat* 23. *Sic inter ſe conciliabuntur Auctores narrationis huius: cum alius* 24. *alius pauciores ſupputat Regulares.* [Z.] *Hunc Tertium, apparet, omiſiſſe Fabium Spinolam in Hiſtoria ſua. cauſſa prætermiſſionis, facilis eſt coniectura, ex paullò antè dictis.* [AA.] *Hieronymus quoque Maiorica,* Novem *occiſorum, pro Chriſto, è Societate IESV, meminit: quia Vnus acceſſiſſe ad eos, Nangaſaquio ex urbe, potuit: & acceſſiſſe ſanè, apparet:* [BB.] *Ad Epheſios cap.* 4. *v.* 30. [CC.] *Sermone* 29. *ſuper Cantica.* [DD.] *cap.* 3. *v.* 27. [EE.] *Eccleſiaſtici cap.* 1. *verſ.* 28. [FF.] *In Græco eſt.* ἡ γὰρ ῥοπὴ τοῦ θυμοῦ αὐτοῦ πτῶσις αὐτῷ. *hoc eſt;* inclinatio enim [*ſeu, Proclivitas, propenſio, vis impultrix, & impetus*] excandeſcentiæ illius, Caſus [*ſeu ruina*] illi [*eſt, aut, erit*], *Quæ omnia, eódem redeunt: & idem, de* Contumaci *capite, exprimunt.* [GG.] *Pſal.* 77. *v.* 65. [HH.] *Exodi cap.* 32. *verſ.* 33. & 34. [II.]

Digitized by Google

Geneſ. 28. *v.* 8. [KK.] *Ad Hebraos* 12. *v.* 17. [LL.] 2. *Regum cap.* 3. *v.* 8- *& ſeqq. & v.* 27. [MM.] *Matthai* 27. *v.* 19. *Euſebius Pamphili, in Chronico. Paulus Oroſius, lib.* 7. *hiſtor. cap.* 5. *Caſſiodorus, Ado, &c. in Chronico anni Chriſti* XXXVIII. [NN.] *Laurent. Surius* 9. *Februar. & Baronius, in annum* 260. *num.* 2. [OO.] *Caſar Baronius, in annum Chriſti* 337. *num.* 14. *Eunapius in Vitis Philoſophorum. Ammianus Marcellinus, lib.* 22. *hiſtor. ſui temp.* & aliquid ipſe Julianus, in Miſopogone ſuo. [PP.] *Matthai* 21. *v.* 41. [QQ.] *Fabius Spinola. cap.* 18. *Vita Caroli Spinola.* [RR.] *Topotheſiam Fabius, & nonnullam etiam Maiorica, ponit: ſed, quam rude vulgus Europaum (mediterraneum praſertim) non, niſi ex analogia quadam, aſſequatur.* [SS.] *Hieronymus Maiorica, in Relatione annua.* 1622. [TT.] *capite* 19. *v.* 27. [VV.] *Pſalm.* 90. *num* 3. [XX.] *Pſalm.* 10. *v.* 6. *&* 7. [YY.] *Sic Fabius Ambroſius Spinola eam nominat. Maiorica vero,* Iſabellam de Feyres *& alibi,* de Yrrides: *librariorum manifeſto vitio.* [ZZ.] 1. *ad Corinth. cap.* 13. *verſ.* 3. [AAA.] *Annales RR. PP. Capucinorum, Tomo* 1. *ad annum* 1571. [BBB.] *Proverbior.* 28. *verſ.* 13. [CCC.] *Maiorica,* Vice-Gubernatorem *appellat.* [DDD.] *Apocalypſ. cap.* 21. *verſ.* 8. [EEE.] *S. Auguſtin. lib.* 8. *Confeſſ. cap.* 11. [FFF.] *Auctor Libelli, qui inſcribitur,* Theatrum Conſtantiæ Japonicæ. [GGG.] *Antiphona ad* Benedictus, *feſto S. Lucia Virg. & Martyr.* 13. *Decembr.* [HHH.] *Ex Hieronymo Maiorica clarè colligitur; quando de Cavára loquitur, eos à defectione deterrere conante: ac ſupra, in deſcriptione diſpoſitionis columnarum.* [III.] *Ad Galat. cap.* 3. *verſ.* 4. [KKK.] *Matthai cap.*

S 25. *verſ.*

Apoſtatæ Iapones.

Digitized by Google

25. *verſ.* 46.]LLL.] *Ieremiæ cap.* 10. *verſu* 7. [MMM.] *Apocalypſ.* 1. *v.* 18. [NNN.] *Proverb.* 28. *verſ.* 14. [OOO.] *Ad Philippens.* 2. *verſu* 12. [PPP.] *Matthæi* 7. *verſ.* 15. [QQQ.] *Ad Hebraos cap.* 11. *verſ.* 6. [RRR.] *Matthæi* 20. *v.* 15. [SSS.] *Ad Philippenſ.* 2. *verſ.* 15. [TTT.] *Ad Romanos* 11. *verſ.* 20. [VVV.] *Ibid. verſu* 21. [XXX.] 2. *Petri cap.* 1. *verſ.* 10. & 11. [YYY.] *Apud Hieronymum Maioricam, & Ioan. Baptiſt. Giramum, in Annuis* 1622. & 1624. [ZZZ.] *P. Petrus Paulus Navarrus.* [AAAA.] *P. Carolus Spinola. De cæteris; habet Rodericus Giram, in Annuis anni* 1624. *non multò, ante finem.* [BBBB.] *Ad Roman.* 8. *verſu* 17. [CCCC.] 2. *ad Timoth. cap.* 2. *verſ.* 11. [DDDD.] *Ducis Peccatorum, Lib.* 1. *part.* 2. *ad fin.* [EEEE.] *Eccleſiaſtæ.* 9. *verſ.* 10. [FFFF.] *Matthæi* 3. *v.* 7. (GGGG.) *Iſaiæ* 8. *verſ.* 20. (HHHH.) *Iacobi* 5. *verſu* 16. (IIII.) *Ioann.* 21. *verſ.* 24. (KKKK.) 1. *Ioann. epiſtol. cap.* 1. *verſ.* 9. (LLLL.) *Eccleſiaſtici* 2. *verſu* 22. (MMMM.) *Ad Hebraeos* 10. *verſu* 31. (NNNN.) *Sermone de X. chord.*

INDEX

Digitized by Google

INDEX MORALIUM

Materiarum.

A.

Abominationum hujus temporis, duo genera. à pag. 73. ad 78.
Abſolutio, ſine Reſtitutione, quid proſit? 160.
Abſcondentes peccata ſua. 169. & 251. &c.
Admonitionum, de ſtatu peccati periculoſo, impatientes homines. 34. & 234. 235. 236. Quàm graviter tales peccent? 236. & 237. quo exitu ſuo? 237. & 238. Exempla eorum, qui, Admonitiones ſalutares reſpuentes, perierunt. 238. poſt med. & 239. per totum. Admonitionem ſalutarem conculcantes. 240. & inſuper in contemptum impenſiùs peccantes. ibid. quid timendum habeant? ibid. ad med.
Adultera deprehenſa, quâ conſcientiâ à marito occidatur? 83, & 89. De talis interfectionis permiſſione, leges Civiles, an, & quatenus, juſtæ vel injuſtæ? 89. Cur occiſorem non puniant? 90.
Adulterarum lacrymæ fictæ. 85. Earum Sumptuoſitas, & furacitas. 92. ad fin. Fraudes. ibid. à med.
Adulteri & adulteræ, mentis excæcatæ. 85. 86. Adulterorum in corde, Diabolus. 99.
Adulteria deprehendentium, modi ferè ſemper, unjuſmodi. 85
Adulterium, cauſſa inchoatrix æternæ damnationis. 249. & 250. jurè pœnis æternis plectitur. 91. Eſſe Nefas admodum enorme. ibid uſque ad fin. Eſſe quoque Injuſtitiam grandem, ac multiplicem. 92. &, in quos maximè Injuria

illa redundet? ibid. Quanta, &, quàm multa, mala creet? 97. & 98. princip. Conjugij nomine ſubinde malitioſè palliatū. 94. 95. & 125. 126.
Æternitas Damnatorum ponderata. 148. per totum. & rurſus, expreſſiùs. 217. 218.
Aliena Sanctitas aut Oratio, ut ſalveris, ſola non ſufficit. 146. 150.
Amores in Impuros Invectiva. 74. 75. 76. 77. 78. Eorum conciliatrices, & ſtimuli, ſæpe Matres ipſæ. 74. 75. Refutantur, qui Levitatis & Nugarum nomine eos palliant. 75. 76. & 178. 179. Quantitas peccati fœdorum amorum. 76. damna, & mala, per congeriem. ibid. & 77. & 78. princip. Item, ex Cantiprat. verbis. 175. 176. Sacrilegas Confeſſiones pariunt. ibid.
Amuleta ſacra negligentes, quàm malè agant. 207.
Angelica Salutationis vis. 212. Sub ejus Signo, ab omnibus orandum devotè. 212. 213. De non orantibus. ibid.
Animarum Immortalitas impiè exploſa. 199.
Apparitiones mortuorum (maximè, Damnatorum) in Lege priſca rationes. 199. quid indè ſecutum? ibid. Diverſimodè fiunt, quoad Corporum aſſumptionem 200. Apparitiones damnatorum, qui valdè ſcandaloſè egerunt in vita, fieri utiliter: interdum quoque propemodum neceſſariò. 215.
Ardores ſempiterni, quàm atroces? 148.
Auditionum Verbi divini utilitas, ſæpe major, quàm nudæ Lectionis. 70. 71.

B.

Bona aliena injuſtè corradentes. 125. Retinentes ibid. quid in morte maximè ſit cruciaturum? 159. 160.

C.

Cereus benedictus adverſùm ſpectra validus 209
Cervicoſus. *V.* Contumax,
Charitatis Fraternæ turbatores, quantum peccent? *Cœlibes*, 91. (236.
Cogitationes malæ, poſſunt ad malitiam peccati mortalis aſſcendere. 120. 121. Cogitationes moroſæ. 121.
Colloquia, inter ſexum diverſum, crebra nimis & ſolitaria, periculoſa. 108. mali exitûs. ibid.
Colloquia moribundorum,& eos inviſentiũ 142.143
Combuſtio pro Chriſto, ſine Charitate vera, inutilis. 248.
Comedentes cibum præfervidum. 178. quínam his ſimiles? ibid.
Concionatores, quid in hora mortis cruciaturum ſit? 158. 159.
Confeſſarii crebra mutatio, unde ferè? 34. quibúsnam ea maximè ſollemnis ſit? 81. Confeſſarii, munerum acceptatores. 81. princip. Confeſſarium eundem retinere, utile. 81. Confeſſarius, an, & quatenus, interrogare Confitentem teneatur? 178. 183. 184.
CONFESSIO *Oris* (quæ pars eſt altera Sacramenti Pœnitentiæ) qualis eſſe debeat? & quibus dotibus inſtructa? 168. ejus Præceptum & Neceſſitas, ex Scripturis oſtenditur.. 169. Confeſſio mortalium pp. non Humani, ſed Divini, præcepti eſt. 248. Amariſſima homini & perdifficilis (ſecundùm naturæ corruptionem) præſertim in Occultis & erubeſcendis aperiendis. 170. & 216. tamen neceſſaria. ibid. Quid de Neceſſitate Confeſſionis Mortalium ſenſerint Sanctis Patres nonnulli? 170. ſin. & 171. Confeſſio, ſine ulla Emendatione, parùm fructuoſa. 81. & 82. Confeſſio qualis requiratur,

Digitized by Google

poſt admiſſum Mòrtale. 250. Confeſſio ante martyrium, an, & quatenus, neceſſaria? 247. 248. Confeſſiones occultarum turpitudinum Difficultas, Gehennæ metu ſuperanda. 216. fin. & 217. 218. Ejus Intermiſſio voluntaria, non compenſatur (per ſe loquendo) aliis quibusvis operibus bonis, & aſperitatibus corporis. 248. nec Triſtitiâ quidem, & dolore cordis, indè concepto. 249. confirmatur exemplo horribili. 249. & 250. per totum. Confeſſionem, ſuppreſſis Occultis turpitudinibus, conantes aliis Operibus, (etiam arduis) compenſare, confutantur. 214. 215. 216. Ut à Confeſſione ſyncerâ avertat, Diabolus peccata gravia elevat. 187. & 188. quo jure? 188. Confeſſionis malæ Defectus totus, eſt in Confitente ipſo. 192. In Confeſſione aliqua, cœlato ſemel, aut ſæpius, peccato mortali, quomodo poſtea agendum? 195. à med. Quid agendum, ſi obliviosi ſimus circa peccatorum recordationem? 195. fin. & 196. & pag. 58. Ante Confeſſionem imploranda Lux conſcientiæ. 196. non tamen ſictè. ibd. Confeſſionis perfectè inſtituendæ, Propoſitum perfectum. 195. Ad Confeſſionem perfectam, quomodo quis ſe comparet? 195. In Confeſionibus, intempeſtiva quædam Fœminarum verecundia, & ſilentium. 177. Eorum, qui in Confeſſione mutilè peccata ſua proferunt, hypotypóſis, 177. 178. quibus ſimiles ſint? 178. quàm fatuè tales agant? ibid. & 195. Quomodo cum talibus confeſſarius aget? ibid. poſt med. Confeſſione creberrimâ qui potiſſimùm indigeant? 81. Confeſſionem, qui plerumque parùm ſanctè habeant? 80. ante fin. & 81. & 82. 176. poſt med. Confeſſio ſacrilega (præ-

ga (præſertim nimis frequentata) maledictionem duplicem videtur advehere. 171. alteram, ex probabili. ibid. & 172. 173. alteram, indubitabilem. 173. ad fin. Per Confeſſionem audita, quæ ſcit audiens, ea neſcit. 180. Cætera vide V. *Sacrilega Confeſſio.*

Confitentes ſyncerè occulta ſua, apud Sacerdotem prudentem non minuunt exiſtimationem ſui bonam; ſed augent. 179. 180.

Confitentes ſacrilegè, an prætextus quæſitus, à mortali excuſet? 180. & 181. Eos aggravare ſibi multipliciter Onus confitendi. 195. Confitentes, obfirmati, nihil de ſe fateri, niſi, quod præciſè interrogantur, quanto ſint in periculo? 183. 184. Confitentium? quorundam falſi prætextus, quò minùs de Dubiis magni momenti in Confeſſione interrogent. 188. à med. Bene Confiteri cupientes, in caſu neceſſitatis, etiam à Deo, Sanctis, & conſcientiâ, diriguntur in dubiis. 187. 189. Cætera vide, V. *Sacrilegè Confitentes.*

Coniugatorum, etiam inter ſeſe, peccata, Damnationem ipſis accerſere 215. 216. Eos quæ peccata maximè in hora mortis cruciatura ſint? 159.

Coniugium. V. Matrimonium.

Conſcientia, per peccatum Mortale, valde gravatur & angitur. 165. Conſcientiam peccati mortalis jugem circumferentes. 196.

Conſcientiæ examinandæ modus, novus, & mirus, 58. poſt med.

CONTRITIO Cordis (pars Prima Pœnitentiæ Sacramentalis) ſi Perfecta, quid requirat? 167. In ea, exuendus omnis affectus voluntarius, & gliſcens, ad peccatum mortale. ibid. an ad eam, & quatenus, & cujuſmodi, Propoſitum requiratur?

quiratur? 167. ad eam Attritio reducitur, certo caſu. ibid. fin. Quæ Attritio, an, quando, & quatenus, vel quouſque, & quo tempore, ad Remiſſionem peccati mortalis ſufficiat? 167. fin. & 168. princip. Contritionis neceſſitas ex Scripturis oſtenditur. 169. Contritio vera & ſyncera, in recenti flagitio mortali deprehenſis, & jamjam occidendis, quàm arduæ molis? 94. Ad eam, quid requiratur? ibid. obiter. Contritionis perfectæ Actus, homini (ſecundùm naturam, præciſè) amari valde. 170.

Contumaces & Cervicoſi 235. per totum & 236. poſt princip. Eis pœna gravis imminet. 235. ad fin. nec tamen ejuſmodi minis moventur. 236. quantum peccent Contumaces, qui ſe obfirmant adverſus ſalutaria & neceſſaria monita. 236. 237. quem finem habituri. 237. Invectiva in tales Contumaces, à pag. 237. quàm miſerè ſeipſos decipiant? 237. & 238. Suímet æſtimatores miri ſunt. 237. de ſeipſis, & conſtantiâ ſuâ in bono immodicè præſumunt. 238. Interdum, ſtudiò, poſt admonitionem, graviùs & confidentiùs, peccant. & cur? 238. 240. eorum Interitûs exempla conglobata. 238. poſt med. & 239. Eorum imitatores, quis exitus maneat? 240. Vide etiam ſuprà, V. *Admonitionum*.

Correctio, derelictorum à Deo, homini deſperata. 189. 190. princip.

Cruci Chriſti, quínam infeſti maximè? 206.

Crudelitatis incentores exagitati. 29. per totum.

D.

Dæmon. *V*. Diabolus.

Damnatio quorundam extraordinariè innoteſcit, ante diem Judicii. 213. fin. & cur? 214. Etiam

eorum

eorum ſubinde, qui ſine ſcandalo publico vixerit. manifeſtata eſt. 215.

Damnati ſalutaria nonnunquam, ſed inviti coactíque, enuntiant. 211. 212.

Deum Reliquiſſe, malum & amarum eſt. 8. & 156.

Diaboli, poſt lapſum, afflictores creaturarum, maximéque hominum peccatorum. 203.

DIABOLI dominatus in hominem peccato mortali obſtrictum. 99. per totum. Eidem, poſt admiſſum peccatum, interdum apparet. interdum, non. 101. Apparens, terret: atque etiam nocet; niſi impediatur. ibid. & 102. Non-apparens, per Effectus noxios præſentiam ſuam declarat. ibid. poſt med. Homicida eſt. 101. Ab eo, peccatoribus graviſſima, & conglobata, damna inferuntur. 123. Et quibus de cauſſis ferè? 124. 125. 126. In quorum Domos, præ cæteris, dominatum exerceat? ibid. & ob quæ maximè peccata? 207. modus unicus, evadendi Dominatum illius. 116. In morte nos proturbat. 144. 145. Ad grande ſcelus accinctos, comitatur: & ſæpe inſidet. 109. Peccatoribus in hac vita, ante mortem, paucis ſe ſpectabilem offert 122. Innumeris tamen, per damna ſe præſentem probat. ibid. Et per quæ maximè, præſertim Corporalia? ibid. Diabolis quibuſdam, homines quidam, Odio in Deum, præcellunt. 206.

Deſperationis Triplex genus. 131. à med. Genus Primum. ibid. & 132. Secundum: & ejus exempla ibid. Tertium. 133. Cur hoc à Deo permittatur? ibid. Peccatoribus, admodum flagitioſis, tertio genere deſperare, valde ſollemne. ibid. Abſolutè, Deſperationi, in mortis Vicinia, obnoxii homines multùm impii. 131. Interim, nec in ultimo halitu deſperandum. 160. 161. 166.

Deipara, à libidinantibus fœminis, ſuo modo, dehoneſtatur. 176.

Derelictionum à Deo, quænam maxima? 227. quantæ calamitatis ea ſit? 228.

Devotuli & Devotulæ, ſæpe capitoſi. 235. 237. Sui valde æſtimantes. 237. Peccatis ſuis adhærentes, & alienorum tamen Judices graves. ibid. Vide etiam *Contumaces*.

Dolor & triſtitia, de admiſſo gravi peccatò, ſine Confeſſione (cùm fieri potuit) ad ſalutem inutilis. 250.

Domus Babylonicæ, ſenſu allegorico, quænam? 124.

Domûs, per omnia Impiæ, hypotypoſis. 124. 125. 126.

Dubiis in rebus, magni momenti, conſilio utendum. 26.

E.

Eccleſia ſollicitudo, & Oratio, pro ſuorum bene præparatâ morte 69. Pro extirpando peccato libidinis. 156.

Examinanda Conſcientiæ, modus novus, & mirus. 58. Examen, & compoſitio, Conſcientiæ, ante Somnum, utilis. 105. 106. Pericula, id negligentium. ibid.

F.

Falſarii. 45. fin. & 46.

Famuli & ancillæ, promoventes Flagitia herilia. 79. 80. Peccant. ibid. Famuli, ſcelerum herilium adminiſtri, periculosè ab eis objurgantur. 83.

Felicitas impiorum, fruſtrà gloriatur. 129. 130. Obnoxia ſæpe deſperationi finali. 131.

FIDES, non niſi Unica, poteſt eſſe vera. 221. & quænam illa? ibid.

Fides

Digitized by Google

Fides Vera, eſt, Spiritualis ædificii Subſtantia. 221. ejuſdem Principium. 222. Principium vitæ ſpiritualis. ibid. *Sine* Fide Vera, nulla virtus vera. 222. Fide verâ ſervatâ, omnia cætera amiſſa reparari poſſunt. ibid. Fide verâ inſtructus, ſimilis, ferenti ſecum Ignitabulum in tenebris. 222. Circa Fidem voluntariæ Dubitationes fugiendæ. 264. Ad Perſeverantiam in Fide, parænefis ſeria. à pag. 264. uſque ad 267. incluſ. Peccatis mortalibus frequentatis, in periculum amiſſionis Fides conjicitur. 164.

Fidei Naufragium Fructus eſt, & Pœna, peccati Mortalis prævii, 221. valde deplorabile. ibid. & 226. Ejus Damnum Ingens & ſempiternum, 221. 222. Irreparabile. 223. nullius alterius Fidei ſubſtitutione compenſabile. ibid. & cur? ibid. Cauſſatur à repulſa bonæ Conſcientiæ. 226. Oſtenditur, hodiernorum Fidei deſertorum exemplis. ibid. per totum.

Finalis Perſeverantia. *V.* Perſeverantia.

Fœmina, quæ, & quatenus, dehoneſtent Deiparam. 179. Silentii tenaces, ubi non deberent 177, quibus ſtropis pallient ſuam, in peccatis cœlandis, taciturnitatem. 179. confutantur. 179. 180. Turpiloquæ. 185. 186. Monentur fœminæ inſpicere Damnatam quantam. 212.

Fragilitas humana, quantopere cunctis metuenda. 21. fin. & 22. princip.

Fratrum & Sororum diſtinctus & pudicus ſomnus, quàm neceſſarius? 73. 74. Mala, è contrario provenientia. 74.

Fructus peccatorum Mortalium amari. 53. 90. 91. 106. 119. 122. 141. 156. 176. 194. 195. 213. 219. 225. 226. &, per recapitulationem. 220. 221, Et per Congeriem. 164. 165. Eorum

Theriaca. 165. & 7. ante fin.

G.

GEHENNA, peccatoribus terrori. 199. Intolerabilis omnibus. ibid. Multis olim fabula viſa. &, quamobrem? 199. Ejus Mala & tormenta, per Congeriem. 149. 217. 218. Ejus Ignis ſenſibilis. 153. Specimen ſenſibilitatis, viſibile & palpabile. 154. 155. 156. Eam Fideles omnes credimus: pauci ſatis expendimus, & cavemus. 147. 148.

Gloriatio, de Contemptu Sacramentorum, impunita, Communitati admodum noxia. 214. & ideò Gehennâ digna. ibid. & 215.

Gloria Cœleſtis amiſſio, Gehennâ amarior. 219.

Gratia Efficax. 140. ad fin.

Gratia potenter & reipſa Efficax, interdum ſubtrahi videtur in articulo mortis, ad perfectè Confitendum &c. in pœnam, nimis ſæpe peractæ ſacrilegæ Confeſſionis, & Communionis. à pag. 171. uſque ad 174. excluſ. Gratiâ Efficaci deſtituti, ab nemine mortalium corrigi poſſunt. 189. 190. princip.

Gratia Juſtificans, moribundo, ante omnia alia, eſt neceſſaria. 149. & quomodo impetranda? ibid. & 150.

H.

Hæreticorum, erga Transfugas, liberalitas. 260. Eorundem, exterior ſpecies vitæ, etc. deceptrix ſimpliciorum. 265.

Hæreticorum ad caſtra, qualis generis & vitæ homines, vulgò transfugiant à Catholicis? 226. per totum, & 266.

Homines nonnulli, Diabolis nonnullis deteriores. 106.

Hominum plagæ quædam, à Spiritibus malignis. 203.

I. JESUM,

JESUM, quínam hodiéque ſe nôſſe, (interpretativè) negent? 196. 197. & quàm indignum hoc facinus? 197. JESU meritorum pro nobis, ac laborum, compendium. 196. 197.
Impedimentum Matrimonii Dirimens. 95. 98.
Impietas corroborata, adversùs omnia induratur. 116. difficillimè emendatur. 189. 190. Impietas omnis generis, unâ in Domo. 124. 125. 126. Indè, nulla benedictio. 126.
Impiorum verba, de Gehenna. 199.
Impœnitentem occidere adulteram, marito quantum peccatum? 89.
Infernus. V. Gehonna.
Infortunia cumulata. 122. à med.
Iniuſtitia multiplex, in Adulterio. 92. per totum.
Innaturalitatem peccatum, quàm grave? 176.
Imperſrverantia maledictio, quomodo incurratur? 227.
Intentio, peccandi mortaliter, & ipſa mortalis eſt. 79. & 121.
Ioannis nomen, Chriſtianis, in Eccleſia primitiva, celebre. 23. aſſumptum à quibuſdam poſtea per ſuperſtitionem noxiam. ibid. Cur ſit ſuperſtitio, & fabula? 24.
Ira gravis, quantum peccatum? 102. 103.
Iudices, utramque partem audiant. 25. ad fin. & 26. princip. Judices, munerum amatores. V. Munerum acceptatores.
Iudicium Particulare uniuſcujuſque, an, & Quando, inſtituatur? 151. 152.

L.

Lacrymæ muliebres, ancipitis Originis. 95.
Leges Civiles, circa Adulteræ cædem. V. Adultera.

Lux cœleſtis petenda (ſed, ſine fictione), perfectè confiteri volentibus. 196.

M.

Mandata divina cuſtodiens, à Deo non relinquitur. 227. deſerens autem, deſeritur. ibid. & 228. nonnunquam etiam, uſque ad Incorrigibilitatem. 228.

Mariti frequens viſitatio, non propter maritum. 79.

Mariti, plus nimis uxorii, & conniventes. 83. 84.

Maritus, (in foro Conſcientiæ) non poteſt necare conjugem adulteram, etiam in flagranti deprehenſam. 83. Iracundiam, in uxore caſtigandâ, temperet. 83. Ejus, in Uxorem, adulterii compertam. Zelus implacabilis. 90.

Martyrii in vicinia, ſingularis animi præparatio neceſſaria. 235. 240.

Matresfamilias induſtriæ. 75. tenentur corrgiere famularum ſcandaloſa delicta. 186. quid eas in hora mortis anget? 159.

Matrimonium, etiam in Remedium Incontinentiæ, conceſſum à Deo. 91. In permittendis, circa illius uſum, Theologia vulgò ſat liberalis. 91. Matrimonium, vivo etiamnum Conjuge promiſſum alteri; præſertim, adulterii intervenientes pacto firmatum, quale? 95. 96. 125. 126. Cur Impedimentum Dirimens ei ſit connexum? 126.

Merita bonorum Operum, præcedentia, per ſubſequens demeritum Mortale, omnia mortificantur. 164.

Monita ſalutaria aſpernantes. V. *Admonitionum*, &c.

MORS, quænam omnium maximè formidanda Homini Pio? 68. Mors impræparata, precibus, & omni

& omni ſtudio, amolienda. 69. morti, etiam Peccatores enormes, ſubinde ſe præparant; intentione tamen, non ſynccerâ. 142. Mortis memoria frequens, peccatoribus præſertim, valde utilis, & neceſſaria. 113. 114. Felicibus Impiis, amara. 130. amarior autem, ipſa mors; nec ſine magnis angoribus. 131. Mortis Hora, Tenebroſa. 130. In Mortis ipſo demum articulo pœnitens (cùm antea potuiſſet) valde ſuſpectus de Salutis jactura. 158. In Morte uniuſcunque, pro meritis, retributio. 141. In Morte nos Sathan proturbat. 144. 145. In Morte, Iuſtorum æquè Impiorúmque, ſed, cum diſcrimine, formido. 145. In Mortis hora, Timor nimius, reprehenſibilis. 145. &, cujus rei nota? ibid. fin. In morte, uniuſcujuſque Judicium Particulare (regulariter) peragitur. 151. An etiam antè? ibid. In mortis hora, peccata mortalia cruciabunt animam. 157. præſertim, ſerò per Pœnitentiam depoſita. ibid. Quæ peccata maximè ſingulos tunc cruciatura ſint? 157. 158. 159. 160. In mortis vicinia, quibúſnam de rebus maximè loquendum? 146. Quid maximè tunc curandum? 142.

Moribundis, etiam propria Oratio, & Juſtificatio, curæ ſit. 149.

Moriendum tandum, etiam feliciſſimis. 130.

Moriuntur, ſobrio cum Timore, etiam bene præparati. 68.

MORTALE Peccatum, quibus cibis ſimile? 4. quid in Homine poſt ſe relinquat? ibid. Comparatur arbori, & pomo, protoplaſtorum. 5. Item arbori & pomo Americano. ibid. Peccatum Mortale. Quid ſit? 6. Ejus Peſſimi fructus & effectus, conglobatè recenſiti. 6. & 7.

Mortale

Digitized by Google

Mortale Peccatum, voluntarius Dæmon. 100. princ. Fit, etiam per Conſenſum, qui mortaliter peccanti præſtatur. 33. Mortali admiſſo, Peccator eſt in gemina obligatione. 99. 100. Captivus Diaboli. ibid. Mortali peccato deformatæ animæ, ſpecies, & habitudo. 115. Mortalia peccata, univerſim, & particulatim, quænam maximè, in articulo mortis, cruciatura ſint? à pag. 157. uſque ad 160. Incluſ. Mortaliter peccantes, alterâ ſui parte mortui. 114. 115. per totum. Vide etiam, *Peccatum* M.

Mulier. V. Fœmina.

Munerum acceptatores Judices, & alii, ex merito exagitati. 43. 44. 45. Eorum, in accipiendo, hypotypôſis. 44.

Murmurationes, adversùs Deum, & injuſtæ, & multùm damnabiles. 35. 36.

N.

Naufragium Fidei. V. Fidei.

Negare, ſe nôſſe Deum, qui cenſeantur? 196. 197.

Nomen S. Joannis, ſuperſtitioni malè obnoxium. 23. 24.

O.

Obediendum nullo modo, imperantibus peccatum manifeſtè mortiferum. 30. Exemplo Joſephi, & aliorum. ibid.

Occidere adulteram, &c. V. Adultera, &, Maritus.

Occulta enormia Confiteri erubeſcentes. 214. 216. 217. 218. Vide etiam, Confeſſio, &, Sacrilega.

Octo Beatitudines, artificiosè Chriſtus propoſuit. 129.

Opera Bona, per peccatum Mortale, redduntur Infructuoſa: & quatenus? 164. non compenſant admiſſorum reticentiam (per Confeſſionem

nem ſacrilegam) abſque Confeſſione ritè peractâ. 248. fin. 249. per totum.

Opera Tenebrarum patrantes, oderunt vulgò Lucem claræ Confeſſionis. 176.

Oratio Propria, pro ſe (per ſe loquendo, &, cæteris paribus) efficacior Alienâ. 149.

P.

Patresfamilias, in hora mortis, quid preſſurum ſit. 159.

Paſcha triſte, cuj? 54.

Peccandi mortaliter audacia, quam maledictionem ſecum vehat? 226. 227.

PECCATA *Mortalia*, multa ſecum trahunt, etiam temporalia, damna, à Dæmonibus irrogata. 122. Peccato Mortali, ſcienter commiſſo, excæcatur homo, ad lapſum novum. 42. Peccatum Mortale, non ex ſola fragilitate commiſſum, & diutiſſimè frequentatum, difficilis, eſt Pœnitentiæ, in certis circumſtantiis. 94. amaricat homini Spiritualia. 164. conſcientiam graviter perturbat. 165. Sæpe Spe ſalutis omni privat. ibid. indurat ad omne bonum 164. E mortali peccato evadendi, modus unicus 116. Peccatorum mortalium complures, & conglobati, effectus pernicioſi. 164. 165. Peccatorum mortalium Fructus. V. *Fructus*. Peccatum mortale, etiam Unicum, ſufficit interdum ad Imperſeverantiam Finalem incurrendam. 226. Peccatorum Mortalium Remiſſio, nequit Dividi. 295. Peccato mortali cœlato, in Confeſſione, quomodo deinceps agendum? 195.

PECCATIS taxam imponere, cujus ſit? 188. & quorum non? ibid. ad fin. Peccata incorrigibilia Unius, ſæpe plectuntur per Peccatum Al-

terius. 83. fin. & 84. Peccatorum Pœnæ diſferuntur, non auferuntur. 35. Earum maturitatem Deus exſpectat. ibid. quam, in Impœnitentia perſeverantibus, certò irrogabit. 82. Peccatorum dimiſsâ culpâ, non ſemper continuò & Pœna omnis remittitur. 4. princip. & 59. ante fin. Peccata quorundam innoteſcere palàm, & plecti, Salus eſt illorum; & ſæpe, ad Salutem neceſſarium. 63. Eis Temporalis mortis ſupplicium, interdum à Deo injungi & procurari. 64. Peccati Inſtrumentis Peccator punitur. 155. Peccata certa, propter quæ maximè Diabolus infeſtat Domos, &c. 207. Peccatorum ſuorum excuſatores imperiti, ex Effectu aliquo, non ſubſecuto. 120. 121. Peccata Omnia, in hac adhuc vita, Remiſſibilia. 165. 186. De hac Veritate, Scripturæ Teſtimonia. 165. 166. Peccata gravia Sathan extenuat, pro Confeſſione impediendâ. 187. 188. Peccatorum Socii, & complices, Dei mirâ permiſſione, nonnunquam ſeipſos inter ſe produnt. 82. 83.

Peccandi mortaliter, perfectè deliberata Voluntas, & ipſa Mortalis eſt. 120. 121.

Peccator, in morte, Meritò pavet. 145. Peccatoribus valde enormibus, utiliter nonnunquam ſuadetur Ordinis rigidi ingreſſus. 140. Peccator, quo maximè terreatur? 198. 199. Reliqua Vide V. *Mortale Peccatum* &c.

PERSEVERANTIA, Finis Virtutum. 225. Sine ea nemo Deum videbit. ibid. Perſeverantiæ Gratia, Privilegiata. 225. Non cadit ſub meritum de Condigno. ibid.

Perſeverantia Finalis (in Gratia Dei) jactura, ingentis eſt momenti. 223. incomparabilis, & incompenſabilis, damni. ibid. ad fin. & 224. maledictio,

Digitized by Google

maledictio, inæſtimabilis ponderis. 225. Incorrigibilitatem inducens. 225. 228. Ad Perſeverantiam Finalem, paræneſis ſeria. à pagin. 268. uſque ad fin. libri. & cauſſæ graves, neceſſitatis Perſeverandi. 270. 271. Solus Finaliter perſeverans, ſalvatur. 224 *Qui perſeveraverit, &c. ſalvus erit*, qualis Propoſitio? ibid. Perſeverans in mandatis Dei, nullus derelictus 227.

Poculum benedictionis, à morituro. 162.

POENITENTIA, utiliter totâ vitâ continuatur. 3. 4. & cur? ibid. moribundo, præ omnibus negotiis aliis, neceſſaria. 149. &, pluſquam Oratio, vel propria, vel aliena. ibid. Abſque Pœnitentiæ exercitio, nemini moriendum. 150. Pœnitentiæ ſeriæ ingens exemplum. 57. 58. 59. 61. 62. Pœnitentia, ad punctum ipſum mortis dilata, malè audit apud S. Auguſtin. 158. & in magno plerumque periculo. 160. Pœnitentiâ verâ & ſeriâ, Remitti Omnia Peccata in hac vita. 165. Scripturæ, circa hoc, veritas & fundamentum. 165. 166. Pœnitentiæ, generatim ſumptæ, Definitio. 166. Ejuſdem, ut eſt Sacramentum, Definitio. ibid. à med. Ejuſdem (ut Sacramenti) Partes Tres enumerantur. ibid. Declarantur nonnihil. 167. 168. Earum Singularum aſtruitur Neceſſitas, ex Scripturis. 169. & 170. Amaræ pœnitenti. 170 ſed maximè, Tertia: quanquam omnino neceſſaria. ibid.

Pœnitendum maturè & ſeriò. 63. & 160. à med. Quid de eo tenendum, qui differt, uſque ad ultimum vitæ articulum? 94.

Praiudicium Judicii Particularis, in Moribundis. 152.

Principes, peccare certi, à privatis difficulter emenda-

mendabiles. 33. 34. poſt med.
Propoſitum emendandæ ſeriò vitæ. 195.
Publicè peccata, publicè punienda. 214. ad med. 215. poſt princip.

R.

Recidivi, quomodo maximè curentur? 81. ad med.
Religioſorum oſores. 139. Religioſos, quid in hora mortis ſit cruciaturum? 158.
Religioſarum Antiſtitum negligentia, in ſubditis cuſtodiendis, noxia. 108.
Reliquiæ ſacræ. 52. 206. In eos, qui negligunt eas. 207.
Remiſſio Peccatorum Mortalium non poteſt Dividi. 195.
Remiſſio peccati Injuſtitiæ, ſine Reſtitutione, nulla. 160.
Reſtitutionem facere ſpernentes, in hora mortis mirè angentur. 159. 160.
Rixæ & convitia, iræ gravi conjuncta, poſſunt in peccatum mortale, evaleſcere. 102. 103. Charitatem valde lacerant. 103. Religioſos minimè omnium decent. ibid. In iis facilè exorbitatur. 102. poſt med.

S.

SACERDOS, an, & quatenus, debeat interrogare Pœnitentem? 183. 184. 187. Sacerdotis illaudati, mores. 135. 136. per Congeriem. Sacerdotes, Angeli ſint. 136. 137. Sacerdotes apoſtatæ. 137. Sacerdotum Concubinæ exſecrabiles, & undique exterminandæ. 138. Sacerdos, quid cogitet, auditô Pœnitentis gravi aliquo Delicto? 179. 180. Quæ ex Confeſſione ſcit, neſcit. 180.
Sacerdotii Status incommutabilis. 137. fin. Quânam Intentione ſuſcipiendus? 136. 137. Quæ Vitæ

Vitæ munditie obeundus? ibid. Secus cum ſuſcepturi, deterrentur ſeriò, & res alias agere jubentur. 137

Sacrilega Confeſſio, cauſſa Completiva æternæ Damnationis. 211. 215. 249. 250. In ea, nimis ſæpe frequentatâ, videtur involvi Dei quædam, ac Sacramenti, contumelia Specialis (ſaltem Interpretativa) & Contemptus quidam implicitus. 173. aut ſaltem diſpoſitio quædam, ad Contemptum ſenſim introducendum. ibid. & 181. 182. Indè probabile eſt, Iram Dei ſubinde ſequi, & Subtractionem Gratiæ Efficacis ad Perfectam Confeſſionem, ſaltem in Fine vitæ, peragendam. 173. 181. 182.

Sacrilegè Confitentes & Communicantes, peccare mortaliter. 181. Vide cætera, V. *Confeſſio*, &, *Confitentes*.

Salvari homines unde oporteat? 24. uſque ad med.

Salutis de facilitate, mortalium quorundam impudens ſententia. 93. 94. aliorum (circa certum Nomen aſſumendum) ſuperſtitioſa, ſtulta, & noxia. V. *Ioannis Nomen*, ſuprà. Salutis arcta Via. 93.

Sathanæ Dominatus, in hominem, poſt admiſſum Mortale peccatum, verus. 99. & 121. & 123. ad fin. Vide cætera V. *Diabolus*.

SATISFACTIO (pars Tertia Sacramenti Pœnitentiæ) ad quid inſtituta? 168. Quæ, &, cujuſmodi oporteat, aut conveniat, eſſe Opera illius: præſertim, à Sacerdote in Confeſſionali, injuncta? ibid. In iis Operibus injungendis, ſpectandæ Circumſtantiæ. ibid. Quam, & Qualem vim, &, à quo, habeant, ad Pœnam tollendam, pro peccatis Deo debitam? ibid. ante finem. Oſtenditur ex Scripturis, &c. Satisfa-

Digitized by Google

ctionis (ad perfectam animæ liberationem) Præceptum & Neceſſitas. 169. 170. Quid de ea Concil. Trident. 170. Amara homini, Satisfactionis Opera. ibid.
Scandala, in Communitate admodum vitanda. 235. Quantum peccant, ea ſic præbentes? 236.
SCRIBÆ muneripetæ. 44. princip.
Socordia, in Bonis operibus. 56. 57. Ejus futilis prætextus. 57.
Sollicitudo Salutis aſſidua, Omnibus neceſſaria. 22. à princip. ferè per totum.
Somnus, in peccato Mortali, non ineundus, 105. 106.
Spectris (maximè Nocturnis) conſternamur homines. 150. & 208. & 210. poſt med. Exinde triſtitiâ marcemus. 206. Utiliter ea ſubinde alloquimur. 208. Quibus munitos, conveniat, ea accedere & alloqui. 208. 209.
SPES de Miſericordia Dei concipienda, etiam graviſſimo Peccatori, quamvis jamjam morienti. 153. ad fin.
Spiritus Fornicationis ubi regnet? 176. Ab Eccleſia, votis eliminatur. ibid.
Spiritûs Infeſtatoris, & Damnati, probabilia Signa. 203.
Superbi, & Sui-Judicii. *V. Contumaces*.
Supplicio publico plecti, quibuſdam ad Salutem prope neceſſarium. 63

T.

Timor Domini aſſiduus, quantopere neceſſarius omnibus? 22. ferè per totum.
Timor Servilis, cum Servilitate. 142. Quid maximè formidet, in rebus futuræ vitæ? 198. 199.
Timor, in Morte, Nimius culpabilis; & quatenus? 145. cujus rei ſignum? ibid. ante fin.
Turpiloqui

Digitized by Google

Turpiloqui in morbis. 185. Cum diſcrimine, de iis judicandum. ibid.
Turpiloquia (maximéque, Fœminarum) cujus rei notæ? 185. & 186. De Turpiloquio, quid tenendum, & timendum, ex Chriſti quadam Sententia? 186. In Turpiloquia Sanorum ac Valentium, Invectiva. 185.

V.

Va comminantis vox, quid ſecum in S. Scriptura vehat? 224.
Venialium peccatorum, utilis, (etiam ante martyrium) licèt abſolutè non neceſſaria Confeſſio. 248.
Verbi Divini Contemptores Contumaces. 240.
Vindicta privata, Inconceſſa. 83.
Virginum Virtutes, à teneris ſtatim diſcendæ. 71. à med. ad fin.
Viſitantium moribundos, Colloquia. 142. 143.
Voluntas ad peccandum mortaliter, determinata, quantum peccet, etiam non perveniendo ad Opus? 120. 121.
Voluptati totâ vitâ immerſorum, quàm difficilis Salus? 93.
Vulpes, Senſu allegorico, quænam ſint? 52. med.
Vxor, pia & Sancta, Dei ſingulare donum. 58. Uxor mala, diabolus. ibid. Uxoribus malè Libertas nimia concreditur. 83. Earum caſtigatio, ſit moderata. 83. Earum lacrymæ perplexæ. 85. Videetiam, *Adultera*, & *Maritus*.

Z.

Zona & Faſcia Spectri cujuſdam, quid ſignificârit, explicatione morali. 210.

FINIS.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Go[illegible]

Digitized by Google